# EPITAPHIORVM DIALOGI SEPTEM.

Auctore
BARTHOLOMÆO BVRCHELATO
TARVISINO PHYSICO.

*AD ILLVSTRIOREM TARVISII,*
*CIVIVMQ. MEMORIAM.*

VENETIIS, ex Typographia Guerræa.
Imprimendi facultate à ſuperioribus
conceſſa.

CANDIDA
FVLVO
NOBILIOR
AVRO
FELIX
ANTI-
QVI-
TAS.

SIGILLVM REIPVB. TARVISINÆ.




BARTH. BVRCHELATI INSIGNIA



NIHIL EST SIMVL INVENTVM, ET PERFECTVM.

QVOD VENTVRA SCIENS OPVS ADMIRABITVR AETAS
ACCIPE LECTOR, HABE, LEGE, PERLEGE, DISCE, REPONE.

| | |
|---|---|
| P | PV |
| MER | INCO |
| VIRTV | PRAEM |
| QVANDOQ | RETINENT |
| VIRTV | PRAEM |
| MER | INCO |
| P | PV |

H . E . P . N . S . C .

SPERNERE CVNCTA SCIENS, AMPLECTENS CVNCTA, FVTVRA
SAECVLA PROSPICIENS OMNIA PVNCTA FERET.

# ILLVSTRIBVS TARVISII PROVISORIBVS,

cæteriſq. Ciuibus dilectiſsimis.

BARTH. BVRCHELATVS PHYS. S. D. P.

ANIMADVERTENS (Magnifici noſtræ vrbis Præſides) me patriæ tantum teneri, quantum fortè parentibus, qui me in ea genuerint, atque educarint, operis pretium me facturum ſum arbitratus, dum in illius ſplendore non parùm obliuionis tenebris obſcurato, diſiectis nubibus glorioſiùs extendendo paulùm pro viribus obuerſarer: neque tamen hoc

negotio

negotio ex ſententia ſic expedito adhuc factus ſum animi compos, niſi & patriæ ipſi dicaſſem hos meos liberos partus non paucis laboribus, ac vigiliis efformatos, quippe qui iſtud opus phyſicalibus ſtudiis, ac medicis exercitiis die noctuq; ſubtraxerim, nec alterutris attamen unquàm defuerim. Propterea Vos, Prouiſores illuſtres, qui ſumma cura, ſtudioq; mirabili ciuica negotia pertractatis, communia bona defenditis, pariterq; commune bonum continuè procuratis: quinetiam Conciues omnes ſelegi, omnes etenim ſumus vnius Taruiſij noſtri grati, ac diligentes alumni, ac veluti magnæ cuiuſpiam arboris trunci, rami, germina, cortices, flores, folia, ac fructus, quæ quidem cuncta ab vno ſtipite, ab vna inquam radice coaluntur, ac conſeruantur, atque inuicem truncus corticem, cortex truncum tuetur, fructus folia, rami & folia, & fructus, radix autem omnia. Vobis itaq; hoc opus dedico, & tanquàm decimam ſoluo; Vos propterea huius Codicis veluti munimen, ac propugnaculum, illum vti rem veſtram contra quoſcunq; præcipuè contra detractores, ac ſciolos, tum contra eos, qui inſtar fuci ad aliena pabula immunes ſedent, ſummo iure acriter defendatis; Ego enim vitilitigatores vnius æſtimans aſſis, eoſq; omnes, ſi quis alius, floccipendens, amicorum ſuaſionibus propemodum importunis conſentiens, tametſi minus id cogitaſſem, hos ſermones vix abſolutos expoſui, non grauatè tamen, vt ab hoc expeditus negotio grauioribus ſcientiarum ſtudiis commodiùs inſeruirem.

Ecquid

Ecquid non video forſitan; quod lippis, nec tonſoribus non notum eſt? me in hoc opere parum quidem pro meritis de vrbe, de Patriciis, de rebus geſtis, leuiq; ordine, ac ſæpius veluti obiter fuiſſe locutum, quod & de Epitaphiis dictum velim: vt etiam aliquis iudicet, me multa quidem digna, quæ abſoluantur proponere, pauca autem ex illis expediuiſſe: & non aliter, atq; fabricæ cuiuſpiam redemptorem lapidum congeriem, tignorum copiam; cæmenti aceruos, quinetiam operarios præparaſſe, nullas tamen propterea ſuper iactis fundamentis ędes compoſuiſſe; attamen nec ab re iſtud eatenus me feciſſe arbitror, cum nihil ſimul & inuentum, & perfectum eſſe conſtet; non etenim in extruendo opere, ſed magis in aceruando materiam propter annalium carentiam, priſcorumq; taciturnitatem, dicamus liberè, propter illos habentium tenacitatem; huiuſmodi meus extitit labor: quæ ſanè alteri ſuppeditata, non modicum illi emolumentum eſt paritura; nec iraſcar propterea me magis aliis, quàm mihi ipſi his lucubrationibus, his peragrationibus profuturum, dummodo in re litteraria, atque adeo ſtudioſis viris me aliquid profuiſſe cognoſcam, quandoquidem non ſolum nobis nati ſumus, imò ad hoc maximè nati, vt alij aliis proſint, & vt communes vtilitates in medium conferamus, dandoque, & accipiendo humanam ſocietatem interim foueamus: cæterùm Ego ne hiſtoricum profiteor? aut chronologum? minimè inquam, ſed Franciſcanorum Epitaphiorum cum attinentibus diligen-

tem

tem perſcrutatorem : iſtud itaque ut ſit præcipuum, quod me apud alios excuſet uolo, apud illos præſertim Ciues, de quibus nec minora, nec pauciora mihi dicendum fuiſſe cognoſco, dixiſſemq; niſi extra proprias metas fuiſſem non ſine crimine diuagatus. Huiuſmodi autem excuſationes, ac tutelas tum ab omnibus, tum maximè à Vobis, Præſides præſtantiſſimi, dum occaſio tulerit, expectabo. Siq; interea in his ſtudiis forte fortuna primas tenentibus viris placuero, non infimam laudem, quæ eſt Virtutis præmium, me fore conſecuturum ſperabo : Et in aliis, quæ iamdudum ſum meditatus, ac meditor, meum erga patriam, ergaq; bonarum litterarum ſtudioſos feruidiorem animum interea præmonſtrabo. Valete Prouiſores uigilantiſſimi, atq; adeo amantiſſimi Conciues mei; ſiq; unquam me de patria benemeritum cognoueritis, grato, ac memori animo me nunc, magiſque meos in poſterum foueatis precor.

# IN BARTHOLOMAEI BVRCHELATI PHYSICI TARVISINI SERMONES EPITAPHIORVM Elogia.

## AVGVSTI ACTIONII ADVOGARII TARV. Elegidion.

*CONCVRRANT, ægroſq; petant, & præmia captent*
*Publica, perpetuò ſeq; ſuoſq; ligent*
*Ii, quos aut tenuis res urget ſemper egenos,*
*Corporis aut notum nil, niſi cura fuit:*
*Et pietate graui languentia corpora current,*
*Et, dum vita manet, nomen ad aſtra ferant.*
*Aſt tu, quem magnæ menti maiora ferentem*
*Vrget Apollineæ duplicis artis Amor,*
*Vt pietas, tempuſq; petit, ſeu notio rerum,*
*Egregium præſtas officium Medici:*
*Inde tibi aſſiduo vires quæcumque ſuperſunt,*
*Quodq; ſalutari tempus ab arte vacat,*
*Et Phoebo, Aonidumq; choro das cuncta ſororum,*
*Dum duplici ingeminas carmina culta lyra;*
*Seu liber ludas iuuenili carmine Lauram,*
*Seu mœſtus plores inuida fata tori:*
*Mens auida aſſueſcit, turpiſq; ignara quietis*
*Laurigeri ad collis culmina tendit iter;*

At

*At cum percurris ueterum monumenta virorum*
*Taruiſii, & ſolers nomina clara ſeris.*
*Cerno renaſcentem patriam, uideoq; ſilentem*
*Tutum morte ſonum dulcè iterare Silim.*
*Et iam ſoluerunt, vrget quos æmula virtus,*
*Nomini & æterno templa dicata petunt.*
*Perge age, &, vt ſolitus, cœptis ingentibus effer*
*Digna tuis, hominumq; uberiora fide:*
*Splendida iam nobis profer Conuiuia largus,*
*Guſtus ſublimes eſcaq; dulcis alat.*
*Sic petitur cœlum; ſic ſic mortalibus æquis*
*Ducitur, & tandem vita perennis erit.*
*O ſi nunc liceat tecum penetrare receſſus*
*Pieridum vacuo nocte, dieq; mihi,*
*Quosq; magis vellem manibus decerpere flores,*
*Candidum & Vraniæ comere ritè caput:*
*Qualia iactarem fundamina? qualia demum*
*Forſan conſtruerem non ſubitura necem?*
*Sed mihi ſat procul eſt fontem libare perennem,*
*Dum melius fatis interiora datur.*
*Tu tamen interea melioribus vtere fatis,*
*Nec pigeat noſtras ritè ſubire vices.*
*Vos Silides Nymphæ Taruiſia numina Vati,*
*Hiſtorico, & Medico ſemper adeſte precor.*

BARTHOLOMAEI MANVCII A BELLANTO.

*TRiſtia Pegaſides relegent iam carmina, quando*
*A nobis penitus mors inimica fugit.*

*Medeæ*

*Medeæ herbarum cedant medicamina, Circes*
*Pocula nulla nocent, nullaq; virga ferit.*
*Nunc Burchelatus calamo facit, atque medella*
*Ante & poſt cineres viuere namque viros.*
*Corduba Lucano gaudet, Venuſinaq; Flacco*
*Tellus, grandiloquo Mantua Virgilio:*
*Iſtud opus relegat quiſquis, nam cernere gaudens*
*Taruiſium poterit Vate ſuo, & Medico.*

BASILII PILVMNI.

*SAturni inuidia Lethe quæ merſerat olim,*
*Fluctibus & Stygijs delituère diu.*
*Taruiſii decus, Heroum clariſſima facta;*
*Quæq; ſuper poterant cætera adire polos*
*En Burchelatus, nouus ut caducifer alter,*
*Euocat ad lucem, viuere & vſque iubet.*
*Multa ſato Priamo debet Troiana iuuentus,*
*At Burchelato plurima Taruiſium:*
*Annis ille decem protexit Pergama ab hoſte,*
*A Fati Vrbem, homines hic teget vſque manu.*

BENEDICTI ZINI.

*EGregiam magnis abſoluere ſumptibus aulam,*
*Tot ueteri ornamenta foro præbere, nouumq;*
*Addere, & antiquas lapſas renouare figuras,*
*Magnum, & difficile eſt moliri tanta repente.*
*Hæc, & plura tamen noſtri admiranda peregit,*
*Vt cernis, breuiter diuini cura poetæ,*

*In melius reparans ueterum monumenta virorum*
*Nobilium meritis, qui nomina ad aſtra tulerunt:*
*Cuius honorato cultu congaudet amatum*
*Taruiſium ſibi parto, perpetuoq; benigno*
*Nobile proſequitur ſtudiumq;, operamq; fauore:*

---

FRANCISCI NOVALENSIS.

*TAruiſii veterum qui quæris geſta virorum,*
*Quid ſolido ſpectas obruta ſaxa ſolo?*
*Hæc demonſtrantem doctum modo perlege librum,*
*Quem Burchelati dat tibi grata manus!*

---

FRANCISCI TRICII.

*NObile Taruiſium, decus, & monumenta priorum*
*Inſignem meritò claram & ſuper æthera famam*
*Proſpiciens Deq; cui geſtorum eſt maxima cura,*
*Perpetuò hæc vigeant, vigeat per ſæcla Minorum:*
*Et Burchelatus doctis ex omnibus vnus,*
*Qui tantos proceres, tantarum & munera laudum*
*Digerit in numerum, ac æternis ſingula faſtis*
*Demandat, ſic nata Iouis: tum Heliconis ad altam*
*Ex oculis ſedem fugiens euanuit aura.*

---

GASPARIS ANCHARANI BASS.

*VT primum tetigere meas tua ſplendida facta*
*Bartholomæe fores;*
*Quæ Taruiſinis populis tam grata feruntur,*
*In tua vota trahor.*

*Nec*

*Nec poſſum laudes caræ nutricis ouantum*
*Non petiiſſe uirum.*
*Id meritò, tu quando tuis monimenta tuorum*
*Sydera ad alta vehis;*
*Te tulit alma virum, cuius prætenditur arte,*
*Ingenioq; manu:*
*Vt ſatures mentes, ægrorum corpora ſanes,*
*Riteq; cuncta feras:*
*Quàm fulges miris cœli virtutibus auctus,*
*Iuppiter altor adeſt.*
*Ipſe diu monumenta virum conterrita ab æuo*
*Splendida reſtituis,*
*Vt, Romanorum ſectans veſtigia, claram*
*Amplifices patriam*
*Felicem nimium, quæ gratum protulit orbi*
*Terra, ſibiq; decus.*
*Munere pro tanto ciues perſoluite grates*
*Voce, opibusq; uiro,*
*Ferteq; fulgentem cœlo altitonante Poetam*
*Fulgidiore tuba.*

---

GASPARIS CVRTII NASC. PH.

*QVod viuis patriæ debes: victura quòd abs te*
*Sit ſemper, debet ſed magis illa tibi.*

---

IGNOTI.

*ISte Cupidineas cecinit, roſeasq; Camœnas,*
*Feſtaq;, amicitias, ſomnia læta, viros.*

*Ruris*

Ruris delicias, ad Amicos plurima, verſus
Mammeæ, & expoſiti cuncta ſed acta probant.
Inferias, vel dum Tyro, celebrauit Amicis,
Ludicra prætereo continuata iocis.
Hunc Leo, Monoceros, Elephas, cum Rhinoceronte
Carmine percelebres concelebrate virum.
Hunc decorent opera Etruſca, & Rhetorũ, atq; Sophorũ
Felici calamo facta Latina ſibi.
Symbola picta latent centena ex ordine verſu
Clara, latent ſeptem prandia docta virûm.
Porrigit hiſtorica hæc Epitaphia patribus vrbis
Impulſus, tantum ne latuiſſet opus.
Cætera, quisquis eris mecum, tradenda precemur
Ne pereant tanti ſcripta verendi viri.

## INCERTI AD MVSAM.

DIc mihi Muſa precor diuturna ſilentia rumpens
Lætior vnde fluat, ſplendidiorq; Silis.
M. Burchelatus cum illuſtrat ſuper æthera, poſtquam
Hunc Silides Nymphæ continuère ſinu:
Hic canit, hic cecinit, canet vſque celebriùs arte
Latia, & Etruſca lingua, & Iberiade:
Nec dimittet opus, ſcribat, ſtudeat, medeatur,
Donec eum incolumen ſeruet, alatq; Deus.

## IOANNIS TVRRII DOC.

HAuras, Paſtorum luſus, ſeu ſeria cantas
Sedulus ad numeros dulcia fila mouens,
Stemmata ſeu patriæ pulchro trahis ordine, laſſa
Corpora vel medica Pæonis arte leuas,
Vitam homini præbes Medicus labilemq; breuemq;,
At ſtabilem ſcriptor, perpetuamq; feres.

## IOSEPH POLICRETI.

QVi Lauras cecinit, qui ſacro numine ductus
Purpureasq; roſas carmine ad aſtra tulit:
Nunc hilari vultu, atque graui ſermone refulgens
Illuſtrem patriam nobilitate colit:
Perpendens animi veterum generoſa virorum
Stemmata, virtutes, munera celſa, domos.
Eleuat, extollit, cunctis mirantibus ornat
Sic Burchelatus fronde virente caput.
Hoc opus æternum ſumma pietate dicauit,
Et nomen, patriæ, conſiliumq; Dijs.

## THEODORI ANGELVTII DOC.

DVm veteris reficis clarorum ſtemmata ceræ,
Et ſpeciem antiquis reddis imaginibus,
Ipſe auro te fulgenti, ſtabiliq; figuras,
Inuida quod nunquàm tempora comminuent.

## Ad ſupraſcriptos præcinentes Amicos:

*VIuite perpetuò felices, viuite Vates,*
*Per vos, dum viuat, viuet & iſtud opus.*

---

### EIVSDEM IN LAVDEM VRBIS.

*VRbs Antiqua Virùm genitrix, qui ſydera tãgunt,*
*Quis te iam poſuit? Me poſuère Phryges.*
*Quis nomen tribuit? Prudentia Diua triformis,*
*Dum trina hic facie iam venerata fuit;*
*Cur tibi tale dedit nomen Prudentia? cernam*
*Vt quæ ſunt, fuerint, quæq; futura forent.*
*Hinc opportuno mutaui tempore ſortes,*
*Me & tandem Venetis iudicioſa dedi.*
*Taruiſina etenim mea Marchia Venetia dicta eſt,*
*Diceturq;, quoad ſermo latinus erit.*
*Inde ego continuè ſpecioſior affluo claris*
*Ciuibus, & muris condecorata meis;*
*Pace fruor placida, lætor, quia ſunt mihi alumni,*
*Enſe, opibus, calamo ſplendidiore graues.*

Elogiorum finis.

# AMICO LECTORI,

## BARTHOLOMAEVS BVRCHELATVS DOCTOR TARVISINVS.

*RERVM antiquarum nobile ſtudium illucuſq; prouectum adhuc fuiſſe tenendum cenſeo, vt nullus fermè amplius reperiatur lapis, nullum vetus monumentum mentione dignum, quod à viris doctiſſimis de induſtria, ſiue in exempli modum non ſit litterarum monimentis ad legentium tum delectationem, tum vtilitatem accuratiùs conſignatum: vt exinde omnis labor in huiuſmodi antiquitatibus perquirendis, exemplandis, explicandiſuè hodie penitus videatur ſublatus: quod pariter de iconibus, ſiue imaginibus Principum, Virorum ſanè quorumcumque*

*illuſtrium dicendum arbitror: apud harum etenim imaginum indagatores, profeſſoresq; præter libros, complura numiſmata ex metallo diuerſi generis, tum corynthiaco, tum miſto, ſicuti ex argento, & auro cum antiquis, ſplendidis, varijsq; eorum elogijs, ac inſignibus vbique locorum, & in noſtro etiam ſcriniolo comperiuntur: quarum profectò in vtroque genere Antiquitatum glorioſa Auctorum nomina ſi recenſere mens eſſet, extra propoſitum noſtra nunc oratio vagaretur: tametſi nonnullorum ex illis in hoc opere conſumendo mihi ſæpius auctoritates venient vſurpandæ: quandoquidem parum abeſt, quin & Ego ex hoc laboris, ac ſtudij genere ſim Antiquarius, futuris ſaltem temporibus, dum ſuperſint opera, vocitandus. Animus etenim noſter eſt, quæcunque modo exiſtunt in Antiqua, ac magnifica Patrum Minoritarum Baſilica hic Taruiſij conſtituta in muris, ſepulchriſvè monumenta mentione digna latinis characteribus exarata in vnum codicem aceruare, de illis ratiocinari, nec non præterea opportuna mihi oblata occaſione de multis alijs id genus à me alibi viſis, ac obſeruatis tumulis, illis vel cognationis ratione, vel magnificentia, vel artificio, ſiue ob aliam quamque cauſam attinentibus, condignam facere mentionem. Quo autem motus Genio ad hoc & mentis, & corporis laborioſum opus peragendum accendar, ſi qui noſcere cupient ſic habento: me & bonarum litterarum ſtudium, & illuſtrium hominum venerandam commemorationem, & conſanguineorum meorum plurium monumenta,*





*menta, perinde ac clariſſimorum quorundam merita Virorum Nobilium, & inter viuos etiam degentium ad hoc impuliſſe: Quocirca haud credet quiſpiam me in hoc opere vniuerſam Epitaphiorum materiam tractaturum, voluerem etenim inſtar Syſiphi laborioſum lapidem ab alijs ſæpiùs reuolutum; neque etiam cuncta mihi iam propoſita Epitaphia recenſebo, ne tædium ex varia dictandi ſimilitudine, ſimiliq; ſcribendi varietate, turpiſq; ſimul nauſea alicui concitetur: Quod fortaſſe reſpiciens Franciſcus Sanſouinus dum Venetiarum Vrbis Nobiliſſimæ Hyſtoriam, Viros clariſſimos, monumenta, ac memorias typis nuper expoſuiſſet, plurima, ne dicam innumera Epitaphia cum ſilentio pertranſiuit: quare nec vnius Taruiſij mei monumenta omnia iuxta inſtitutum mihi deſcribere ad præſens libuit, ne parum fortaſſis ab intellectus mei dexteritate ſuffultus, in tanta hominum, rerumq; geſtarum varietate, ac magnificentia deficerem in itinere conſultus à Flacco in Epiſtola illa ad Piſones dum diceret.*

*Sumite materiam veſtris qui ſcribitis æquam*
*Viribus, & verſate diù quid ferre recuſent,*
*Quid valeant humeri.*

*Quod opus arduum profectò, ac laudabile nobis cunctis oppidò æſtimandum veniret: Et ò vtinam Viris quibuſdam noſtratibus ſtudio bonarum litterarum clariſſimis ære vel publico huiuſmodi negocium, annales ſanè, ſeu Chronica publica compilandi deſtinaretur, ne admiran-*

dorum quoque ſæculo Virorum glorioſa geſta, ac generoſa facinora tandiù ſepulta, atque Orco propemodum commendata marceſcerent. Quem fructum autem præter delectationem ex hoc opere ſint lectores expiſcaturi, ipſi viderint, tam varius etenim eſt guſtus hominum, vt ab omni ambiguitate ſit penitus alienum illud Horatij ad Iulium Florum.

*Tres mihi conuiuæ propè diſſentire videntur*
*Poſcentes vario multum diuerſa palato, (alter,*
*Quid dem? quid non dem? renuis tu quod iubet*
*Quod petis, id ſanè eſt inuiſum, acidumq; duobus.*

adeo ut veriſſimum ſit illud, quod idem in proximo dixerat

*Denique non omnes eadem mirantur, amantq;.*

Nibilominus Antiquario partes variæ variis Epitaphijs, ac expoſitionibus aſſignabuntur: Hiſtorico, qui rerum Taruiſinarum præcipue memoria delectetur, tractatio niſi prorſus, vt aliorum, iucunda, illi ſaltem veridica dignoſcetur. Poetæ aliquid haurient: Grammaticis fortaſſe numerus non ſatis arriſerit: Rhetores, neſcio an ſtudium, an magis diſpoſitionem, ſeu artificium accuſabunt; Cæterùm conciues mei (niſi fallor ſententia) miram ex hac lectione iucunditatem, & delectationem, nec prorſus omni vacuam vtilitate percipient: talem etenim in eorum gratiam nullo quidem iubente, ſiue impellente laborem ſuſcepi, qualem in Ciuitate noſtra neminem ſuſcepiſſe vſque ad hæc tempora ſcire nobis integrum eſt. ſed iam ad opus propoſitum ita per Dialogum exordiendum accingor.

SERMO

# SERMO PRIMVS.

## INTERLOCVTORES.

## BARTHOLOMAEVS BVRCHELATVS, ET ALEXANDER VONICVS.

B. ECQVIS ille eſt, quem iam nunc aduentantem uideo?

A. Salue amicorum optime, iam me incolumem rediſſe gaudeas, tametſi uſqueadeo feſſum, ac pecunijs uacuum, tanta eſt apud nautas, caupones, ac ſtabularios auaritia, vt priſtino ſtatui meo, antequam peregrè proficiſcerer, penè inuideam: quid enim rei meæ familiari profuit? quid meæ valetudini tulit emolumenti me orbem diutiùs peragraſſe, Romam, Neapolim, Flaminiam fermè uniuerſam, magnamq; Inſubriæ partem uidiſſe? imò potiùs quantum hæc peragratio mihi attulerit nocumenti iam audias: uſqueadeo ſum perfractus membra, modo equo inhærens, quandoque pedibus itinerans, nonnunquam protractus eſſedo, aut parua naui, ſæpius malè recubans, ut nimiopere ſit corpus meum à ſymmetria alienum, ut nullam in me ipſo bonam

per-

perſentiam ualetudinem: Et idcirco præter deſiderium te inuiſendi, hac hora matutina te primum omnium ſalutandum conſtitui, ut poſtmodum de ualetudine mea, quod tuo fiat commodo, mihi fidele tuum præſtes conſilium pariter, ac auxilium; Nihil autem aliud de tam longa itineris circuitione Taruiſium reportaui, præter monumenta quædam in locis varijs à me curioſiùs explorata circa diuerſorum hominum mores, circa vrbes, ac oppida, muros, ac marmora, tum chartis, tum memoriæ libentiùs commendata.

B. O Amicorum meorum apex, ac complementum, ſalue iterum; incredibile profectò mihi detulit ſolatium aduentus tuus; ſed amabò, tibi ne uideris parum fuiſſe ſuperlucratus? ita modicum iſtud futurum ſtatuis emolumentum? bonæ indulgens ualetudini breuì, quod tibi polliceri non uereor, ualidus, ſymmeter ac fortis fies: ſicuti & loculos, & ærarium, prouentus plures exigens, ac uenundans breuiter redimplebis: res autem quotcunque uideris, memoriæ ſeruaturus, & tui, & magis aliorum vitæ inſtitutionem moderaberis, atque tantam exinde hauries conſolationem in poſterum, ut nedum te unquam horum itinerum minime debeat pœnitere, imò magis ob id gaudere debeas, &, quod non dubito, diutiùs oblectari.

A. Faxit Deus, qui ſuauiter cuncta diſponit.

B. Antequam ulteriùs ſermones noſtri proripiantur, ſi mauis iſtuc in proximas Franciſcanas ædes rem diuinam auſcultaturi, breuibus concedamus.

Vbi



A. Vbi vis non moror. Dum ſacrum audiebam, frater dulciſſime, Templum hoc circumſpiciens, præter alia certè ſum admiratus copiam tumulorum, quaſdamq; illorum inſcriptiones, & in muris quædam dictamina ſacram illam antiquitatem redolentia, quæ (ita me Dij ament) uel nunquam uidi, uel antea nunquam animaduerti.

B. Et Ego quandoque admiratus ſum plura, nobilioraq; in hac Baſilica Epitaphia reperiri, quàm, niſi fallor, in quocumque alio Taruiſino Templo quantumuis ampliori; quocirca cum tu æquè ac Ego huiuſcemodi elogijs delectemur, niſi te pigeat, ſelectiora legamus, ac ſeligamus: & ſi tu mihi unum, quod ſpero, libens præſtabis, ſcilicet, quæ aliquod ſymbolum, aliquamuè obſcuritatem continent cum antiquioribus à te Romæ præſertim uiſis cõferens mecum expones, illaq; eſſe nobilia commonſtrabis, Ego tibi aliud ſpondeo, nempe me dicturum de egregijs tumulatis viris, de ſtrenuis eorum geſtis, deq; ipſorum ſtemmatibus generoſis: ſicuti polliceor etiam recenſere alia multa paſſim per Taruiſinas Eccleſias Epitaphia diſpoſita iſtis aliqua ratione attinentia.

A. Nihil mihi in præſentia contingere poſſet gratius, quandoquidem, & plurium à me hinc inde obſeruatorum memorabilium hoc dulci exercitij genere recordabor, & huius noſtræ Ciuitatis Viros nobiles, ac illuſtres, cum nulli præſertim ſint annales publici, audiendi deſiderio teneor incredibili.

B. Concedamus parumper extra Templum ſub hoc ueſtibulo

lo ſecus fluuium, ut abſque aliquo impedimento liberiùs colloquamur, utq́; primùm, quæ extra baſilicam reperiuntur memoranda, aſſumamus.

A. Et id quidem melius. iam incipias.

B. Antequam, ò Amice, ad Epitaphia referenda deſcendam, me operis prætium facturum exiſtimo, ſi primo loco de huius magnifici, ac antiqui Templi fabrica quædam, quæ & eius antiquitatem, & Nobilium Taruiſinorum Ciuium in diuinum cultum propenſionem teſtentur, breuibus recenſebo: qua de re primò unum nobis eſt ſtatuendum: Templum hoc nempe antiquiſſimum extitiſſe cuius fundationis deſit memoria, per eam ſcilicet tantùm partem, qua chorus, & altare maius cum ſacellis adhærentibus continetur, licet quidam ex ſe aſtruat id ante tercentum, & quinquaginta annos conſtructum eſſe, quibus ſæculis Diuæ Mariæ Templum dictitabatur, tametſi dicãt aliqui ſanctæ Fuſcæ, ad cuius diuina officia adminiſtranda uſque ad annum, à conciliata Diuinitate, 1300. fuerant præpoſiti duo fratres Nonantulani ordinis D. Auguſtini: qui, poſtea quàm D. Mariæ Maioris templũ, atque cœnobium conſtructum fuit primaria impenſa generoſæ matris Lucretiæ Turrianæ, tunc uxoris illuſtris Equitis Io. Baptiſtæ de Rouerio Nobilis ciuis Taruiſini circiter dicta tempora à morbo grauiſſimo B. Virginis meritis priſtinæ ſanitati reſtitutæ, ſeſe iſtuc tranſtulerunt, qui deinceps (uſqueadeo D. Mariæ ob infinita miracula ibi à ciuibus, ac exteris uenerata cum oblationibus opiparis cultus





tus excreuit, ac ſemper viget) Et plures, & nobiliores redditi nunc eo locis ampliſſimum habitant monaſterium, quod ſanè inter vrbis ditiſſima hodie numeratur: ad prioris autem loci cœnobium aliquot ex Minoritarum D. Franciſci familia tunc fuere conſtituti: qui poſtea pijs ſuffulti eleemoſinis altare maius nouum reddentes, ac ſpecioſum, Beati Franciſci eorum deuoti ordinis ſanctiſſimi fundatoris auratam ſtatuam ſub D. Mariæ virginis imaginem addiderunt, & ſucceſſiuis temporibus ipſi, ac vniuerſa ciuitas B. Franciſci Eccleſiam vocitarunt.

A. Hæc de primaria Templi parte ſat habeo, verumtamen cum adeo amplum ſit hoc cœnobium, totq́; ſint atria atque ædificia, miror quomodo tot, tantaq́; ex ſolis pijs oblationibus conſtrui potuiſſent.

B. Ceſſabit admiratio, dum quæ in præſentia ſum dicturus audieris. iiſdem temporibus, ſ. circa annum 1300. illuſtres illi Comites de Camino, quorum antiquiſſima familia anno Chriſti 1023. dum Corradus primus huius nominis Imperator ab Vrbe Roma, vbi à Pontifice Coronam acceperat, per hæc loca reuerteretur, primò cœpit in Italia cohabitare: quandoquidem Alberto, & Guecelloni de Camino tunc dictis de Montanara, dum Imperatorem comitarentur, ab eo huius ſuperioris regionis pars ſatis ampla, tum & inferioris conceſſa fuit, ſicuti & ab Hermano Comite Cenetenſe pagos aliquot ſecus Liquentiam fluuium acceperunt, vbi poſtmodum amplum, ac forte propugnaculum fabricarunt, quod quidem Caminum

dixerunt, ſeq; Camini Comites, ac Dominos ſucceſſiuis temporibus ipſi, ac cæteri homines denominarunt: hi inquam illuſtres Comites proprias habitabant antiquas ædes vbi nunc extat hoc monaſterium præſertim ad occidentalem partem aduerſus hanc inſulam, quæ tunc temporis erat cum continenti: Contigit autem illo ſæculo, vt præeſſet Taruiſij bellator ſtrenuus Gerardus de Camino iamdudum Ciuis Taruiſinus, factus inquam votis omnibus Præfectus huius Ciuitatis (Capitaneus Generalis vulgo) propter ſtrenuum opus, quod egit in expellendo illos de Caſtellis cum ſequacibus, qui erant factionis Gibellinæ contra Eccleſiam Pontificiam, cuius facti aliqualis mentio hic in Templo D. Laurentij reperitur.

A. Iam non memini, præcor referas quod in hac materia dignum cenſes, præſertim quoniam ſumus circa marmora verſaturi.

B. Tametſi factum non referat clariùs, ſicuti nec fuerat opus, ſcimus hanc hiſtoriam ex ijs, quæ in Cancellaria noſtra communis ſunt regiſtrata, nempe anno 1283. menſe Nouembri Nobiles de Caſtellis ex hac vrbe Ducibus Caminenſibus expulſos eſſe: hanc autem tabellam poſuit, prout in calce patet Bernardus Caſtaldius Primicerius eius Eccleſiæ Vicarius reuerendus, ne & tanti operis, & conſecrationis illius memoria deliteſceret, iam audias.

Tem-



# D. O. M.

TEMPLVM HOC IN HONOREM S. LAVRENTII MAR. ERECTVM AB ALBERTO RICCO EPISCOPO TAR. EX COEMENTIS PALATII GERARDI DE CASTELLIS DEIECTI FVNDITVS, ET SIBI A' REP. TAR. DONATIS SVPER FVNDO' DOMVS BRANCALEONIS FRATRIS SVI A GERARDO INTERFECTI, SVMPTA AD HOC PORTICVS PARTE IAM SVPER SOLO SVO CONSTRVCTAE IN PIAM FRATRIS MEMORIAM. A. D. MCCLXXXIII. BERNAR. DE RVBEIS ITIDEM TAR. PONT. CONSECRAVIT IIII. ID. AVG. MDI.

Hic inquam Gerardus de Camino duos ſuſceperat filios Ricciardum ſcilicet, & Guecellonem, ſenior autem factus ſuum vltimum condidit teſtamētum coram ſeptem Minoritis monachis in eorum ſacrario, propter quod Guecelloni legauit totam vallem Mariniam, Soligetum, Forminicam, RegenZudum, & Syluam tunc Caſtra omnia in Taruiſino circuitu: in cæteris autem quibuſcumque ſuis bonis æqualiter ambos filios ſibi hæredes inſtituit: vt autem quod de ſumma Ricciardo detraxerat, ei in altero compenſaret, præ nimia auctoritate, qua in Ciuitate multum pollebat, ita rem cum maiori conſilio pertractauit, vt poſt eius obitum Ricciardus Vrbis Præfectus ſufficeretur: Anno porrò 1306. ſeceſſit ab humanis Gerardus, cum Tyrannidem ferme, & bellando, & imperando

 per

per viginti annos exercuiſſet: fuere ſiquidem Caminates bellatores acerrimi, vt præter alios teſtati ſunt Ioannes Candidus in eius Aquileienſibus commentarijs, & Petrus Gerardus Patauinus in Eccelini Tertij de Romano vita Tyrannica deſcribenda, cum quo, & cum eius fratre Alberico ductis exercitibus militum Caminenſes ſæpius decertarunt, ſed horum geſta pene omnia euidentius ex libris Grammatophylatij dignoſcuntur. Tumulatus verò fuit hic Vrbis Præfectus in hoc D. Franciſci phano penès ſacrarium, vbi priùs ſibi extrui fecerat nobile Mauſolæum, ſpectatur ſiquidem, ut noris, ipſius arca pario marmore, auratoq; opere ſpecioſa altiùs in pariete fabricata teſtudineo fornice ſuperiuncto cum pinnaculis circumcirca eminentibus ex figuris, & characteribus aureis inſigniter exornatis: ad hæc ſuperiùs ad parietem affixa conſpiciuntur huius clariſſimi Viri inſignia, haſtæ, pila, umbones, uexilla, paludamenta cum gentiliciis eius inſigniis, ſcilicet ex albo, & nigro à ſummo ad imum hinc inde condecorata, ſed, quod mirandum in modum miror, nullum in toto ambitu cernitur Epitaphium, quod etenim ad columnarum baſes legitur aureis cælatum litteris eſt nomen Lucæ cuiuſdam Pictoris Veneti; Præterea, ut ad rem ueniam, alterum generoſum opus ac pium egit hic illuſtris Vrbis noſtæ Præfectus, neque enim à Dei cultu abhorrebat, cum nec etiam aſperrimus fuerit deguſtatus; nanque dum ad forum (ni fallor) cum militibus Præſidis palatium publicum habitaret, diuino excitatus ſpiritu,

proprias



proprias eius antiquas ædes uicinis monachis Minoritis, qui tunc paruum angulum habitabant, ad cœnobium ſibi capacius fabricandum conceſſit, quinimo ipſe ære ſuo impenſam iis grandem contribuit: quapropter Monachi ſucceſſiuis temporibus piis adiuti eleemoſinis magnificum tanti Benefactoris palatium cum atriis, curiis, cauædiis, ac ueſtibulis in monaſterij formam, qualis nunc cernitur, tandem ædificarunt, & iſtud viridarium, quod uides, poſtea à continenti nouo hoc alueo ſeparantes in talem inſulam redegerunt.

A. Summo animi mei ſolatio hanc de Gerardo Caminate hiſtoriam audiui, tametſi doleam ciuitatem noſtram non ſemel illius ſæuitiam deguſtaſſe: at quid de Ricciardo poſt genitoris obitum mihi narras?

B. De Ricciardo poſt mortem patris Præfecto Taruiſij declarato, eiuſq; Ciuitatis poſtea ab Imperatore Vicario conſtituto ſanè ſubeſt dicere, cum fortaſſe eius hiſtoriam, imò finem audire non ſit nobis iniucundum futurũ: quapropter hic magnus vir genitoris veſtigia ſubſecutus, quinetiam ipſum, in prauis præſertim operibus, longè ſuperans, vt eſt natura noſtra ad malum procliuis, & tyrannidem, & ſtupra, & adulteria indicibili omnium Taruiſinorum mœrore continuè ad eius libitum ſceleſtiùs exercebat, vnde factum fuit, vt optimates, & proceres mirum in modum, ſummoq; iure indignantes, ex ijs præcipui ſecretò deliberarent, ſe à ſeruitutis iugo, atque tyrannidis infortunio velle aliquando liberare, quocirca

in

in Ricciardi excidium vnanimes conſpirarunt; re igitur bene diſpoſita, dum Præfectus, ſicuti aſſueuerat, luderet latrunculis in palatio, quidam ruſtica indutus penula accedens propiùs de ludo huiuſmodi admirabundus, extracto, quem ſub veſte tegebat, gladio, Ricciardum mortali vulnere percuſſit in capite, qui ſtatim humi concidit, percuſſor fugiens à commilitonibus interficitur, de quo Dux Nobilis vix reſpirans ſiſcitatus, ei reſponſum fuit, illum fuiſſe dilaniatum, tunc ille dolens, quòd propterea auctores propriæ mortis erat ignoraturus, ei relatum fuit, hanc fuiſſe Taruiſinorum procerum conſpirationem: tunc ille proferens, ergo in communi plangent quod commiſerit ſingularitas, continuò emiſit animam.

A. Iure merito id factum eſt, cum ex D. Auguſtini ſententia, fermè ſit impoſſibile male viuere, & bene mori: verumtamen ſi aliqua eſt particularis huius rei memoria apud ſcriptorem aliquem fide dignum mihi gratum facies illud iſtuc tranſportare.

B. Non poſſum, neque debeo tibi in hoc, ſicut & in alijs minimè obtemperare, quapropter prætermiſſa hiſtoria Almerica, quæ etiam factum narrat, non pigebit hic referre quod in hiſtoria vniuerſali Andreæ Redusij de Quero, cuius poſteri, ut noris, iamdudum inter nobiles ciues noſtros relati ſunt, his litteris, penès illuſtrem Comitem Ioannembaptiſtam de Collalto antiquarum rerum ſtudioſiſſimum comperi regiſtratum, uidelicet, Anno 1312. menſe Aprilis Vir Nobilis D. Rizzardus

de



de Camino Vicarius in Taruiſio pro Imperatore, dum luderet ſcacchis, quidam ruſticus de Triuignano famulus domini Altinerij de Azzonibus appropinquauit ad eum, & amoto clamyde ſuo griſeo clam traxit de ſub clamyde ronconem ferreum, & Nobilem Virum percuſſit in capite, qui ſtatim à circumſtantibus fuit crudeliter laceratus: dum Vir Nobilis ſtaret nihil aliud expectans, quàm mortem, ait, vbi eſt qui vulnerauit me indignè? tūc ait vnus, mortuus eſt, ait infirmus amodò ſciri non poterunt tanti ſceleris mandatores? cui miles quidam ait, nullum ſecretum, quod non reueletur, iam enim murmuratur hoc factum fuiſſe mandato quorundam nobilium Triuiſii, quos inter cæteros diligebas: Tunc nobilis dirigens ſe ad Deum ait, credo quòd adhuc Taruiſium luet in communi quod deliquit ſingularitas aliquorum, & inclinato capite emiſit ſpiritum: poſt cuius mortem D. Guecellus eius frater factus fuit Dominus omnibus annuentibus in Taruiſio. cauſa fuit; nam D. Rizzardus de Camino rem habuerat cum vxore dicti de Azzonibus exiſtentis tunc in Poteſtaria Ciuitatis Belluni, cui dominabatur ille de Camino, & hoc inuita Domina, quæ aduenienti marito nunciauit, qui ſecretè participato colloquio, & conſilio cum Comite Rambaldo de Collalto, cuius filiam voluèrat deflorare, adduxit eundem ruſticum familiarem ſuū, & fortè amentem ad tale homicidium perpetrandum, dum idem D. Rizzardus ad ſcacchos luderet cum prædicto, quo immediatè percuſſo Dominus de Azzonibus

ſica

ſica euaginata proprium famulum interemit, ne rem aperiret in poſterum, iam verò, vt ſuperiùs tactum eſt, his ita perpetratis poſtea diebus paucis interiectis, forſitan ne diutina inquiſitione coniuratio detegeretur, Guecellonem de Camino Ricciardi fratrem Præfectum Vrbis conſtituerunt, ſed non multo poſt tempore, habito maturo conſilio, & hunc Præfecti auctoritate expoliantes ex vrbe penitus abegerunt, & ſubinde protinus lege ſtatutum fuit, vt caſtrum Syluæ ſolo tunc æquaretur, & ne vnquam ampliùs reſtitueretur prolatum.

A. *Hiſtorico huic Andrææ de Quero veluti in his pariter in cunctis alijs magna fides eſt tribuenda, vti homini præter eius ſolertiam, ac peritiam, qui exiſtens communis Taruiſii Cancellarius omnia fideliſſimè ex ſcripturis authenticis in eius hiſtoriam deriuauit, porrò nec in concribenda hiſtoria fuit illuſtris Andræas de Quero, ſed & in bello dum tercentum militibus imperabat, ſed & in magiſtratu dum anno domini 1426. annuente Senatu Veneto Caſtellanus Brixiæ præſidebat; cæterùm, niſi mea me fallit memoria, Ricciardus hic, de quo mox loquebaris, ille fuit, de quo Dantes Alengerius IX. cap. paradiſi ſic prophetarat.*

Et doue Sile, & Cagnan s'accompagna
Tal ſignoreggia, & và con la teſt'alta,
Che già per lui carpir ſi fà la ragna.

*Quod etiam, ut obſeruaui eius commentator Landinus non ignorauit. Porrò nunquid Ricciardus in genito-*

ris



ris arca fuerit cum patre contumulatus ſum apprime dubius, cum & ad D. Margheritæ Eccleſiam Fratrum heremitarum ſit ſacellum, ad cuius fornicis ſummitatem apparet inſigne gentilitium de Camino, & introrſum ſit arca marmorea nobilis alabaſtrinis lapidibus affabrè decorata, iiſdemq; Caminenſium in ſignibus pariter exornata, & quod iterum maximè miror, neque ibi vlli ſunt appoſiti characteres.

A. *Quod Ego in hac re ſatis dubia referre, ſeu iudicare poſſum, iam audias, cum ex Caminenſium Genealogia cognouiſſem complures fuiſſe ex hac nobili, ac perantiqua familia de Camino, præſertim Guecellonem Tolberti filium, qui Tolbertum & Biaquinum filios ſuſceperat, quique ſemper boni ciues fuerunt exiſtimati, vt etiam Andræas de Quero ſic dixerit, ex deſcendentibus Viri nobilis Biaquini de Camino extant duo fratres Rizzardus, & Gerardus, qui ſe Venetis adiunxerunt, & Venetiarum nobiles facti ſunt. in eam deueni ſententiam hoc eorum fuiſſe ſacellum, & monumentum; Ricciardum autem Præfectum cum Gerardo eius patre iſtic fuiſſe compoſitum, eò magis quòd Fratres Franciſcani de vtriſque patris & filij obitu ſeparatim quotannis celebrant anniuerſarium. vt interim prætercam aliorum Caminenſium conſpicua monumenta, quæ & Serraualli, & Opitergij, atque alibi ſunt repoſita, ne in hoc operis initio nos aliquis Caminenſium hiſtoriam velle contexere imaginetur.*

B. *Rectè ſanè, verumtamen abs te vlterius ſcire vellem,*

 nun-

nunquid hanc ſatis amplam Eccleſiam Monachi, aut Caminates, aut alij ita elongauerint.

B. Tibi non eſt ignorandum illis fermè temporibus Nobiles Viros ex antiqua familia de Raynaldis Taruiſina, & diuites, & in Dei cultum propenſos valde, quandoquidem per ligneum pontem vallatum e regione magnificarũ ipſorum ædium, quæ plures ſunt, & contiguæ, continuè ad hoc venerandum templum commode tranſmeabant, hos inquàm duo generoſa facinora peregiſſe: alterum quippe quòd præcipua ipſorum erogatione fuit magna pars huius templi producta, ab eo ſcilicet loco, vbi deſinit chorus, vſque ad maiorem hanc, quam vides, Eccleſiæ portam, atque in huius deuotæ operis memoriam inſigne eorum gentilitium marmoreum ex vtroque latere, vnde orditi fuere hanc reliquam templi partem, altius infra muros voluerunt appendi: Alterum Nobilium de Raynaldis opus Egregium ſanè duplex fuit, nempe quòd vallarunt muro illo ſedilia chori lignea valde operoſa duobus extructis marmoreis pergamis ad præcinendas lectiones, ac Euangelia monachis peropportuna, cum chori ingreſſu ex marmore affabrè elaborato appoſitis hinc inde domus eorum inſignijs, & ad medium: poſtremò, ut æquum erat, de ſeipſis cogitantes ſacellum, quod eſt ſacrario vicinum magis ad ſeſe, eorumq; poſteros inhumandos legerunt, in quo pariter Diuo Ioanni Euangeliſtæ nobilem aram conſtituerunt, quo in loco ſimul ſumptuoſam arcam in pariete ſuſpenſam ex marmore ſurſum conſtructam noris, vbi Do-





ctoris dormientis ſtatuam marmoream comprehendis, & in terris mutum ſepulchrum, & ſecus aliud capacius Raynaldorum familiæ inſcriptum monumentum dignoſcis; Horum autem primi fuerunt Albrigetus, Franciſcus, & Albertus Iudices, qui poſtremus fuit pro Taruiſina Repub. Poteſtas in Coneglano, & ſubinde tota hæc familia huic pio cœnobio adminiculo ſemper fuit, quapropter Reuer. Patres penſiones recipiunt, & pro Raynaldorum omnium animabus menſtruas continuè inferias circa eorum tumulum celebrant, ac frequentant.

A. Vt aliàs audiui, atque etiam lectitaui fuere ex hoc ſtemmate complures Viri ſtrenui, ac glorioſi.

B. Si impræſentiarum de quotquot illuſtribus Viris ex numeroſa Raynaldorum familia congruam facere mentionem meus eſſet animus & arduum mihi opus proponerem peragendum, & præcipuo operi acceſſorium ipſomet opere partem aſſumere grandiorem: Quiſnam tantum effari poſſet de magnifico illo Raynaldo de Raynaldis (ut priſcos alios multos ex hac familia omni tempore glorioſos prætercam) quod non modicum, parumq; admodum eſſet? doctiſſimus ille fuit, ſed & ditiſſimus, vt præter magnifica palatia, ſeptuaginta ampliſſima prædia poſſideret: Qui filiabus omnibus ex Raynalda familia naſcituris dotẽ ſatis amplam prouidit, nemoribus quibuſdam, ac prædijs ad hoc ſpecialiter conſtitutis. Ecquis ſufficeret Zachariæ illius, qui ante ſexaginta circiter annos, floruit, merita, atque opera egregia ſtylo indeficienti percurrere? ille e-

tenim fuerat noſtrorum temporum in declarando alter Hortenſius, alter Cicero: nouit Roma, dum conſque mi ris Virtutibus progreſſus fuerat, ut niſi tunc ſummus Pō tifex deceſſiſſet Senator Romæ iam deſignatus conſtitueba tur. nouit Bononia dum ei Prætor aſtitit, vbi adhuc in e-ius memoriam repoſita conſpiciuntur inſignia. norunt Veneti, dum ipſum Venetias ſummis honoribus, ac muneribus ad magna onera ſuſtinenda attraxerunt, ut tanti ciuis gloria apud ſuos fulgendo à ſuis itidem teſte aure, atque oculo continuè ſummis laudibus experientia impellente celebraretur. Sed, Virorum nominibus ſic in præſentia prætermiſſis, quid dicam de illuſtri Beatrice de Raynaldis Comitiſſa Goritiæ? quid de Sarra illa, quæ obiens extremum diem annuos redditus & vini, & tritici, & aliarum rerum huic conuentui deſtinauit? Quid de Cecilia Alberti? Quid de Caſſandra Victoris Raynaldorū coniugibus ſimiliter beneficentiſſimis? quocirca hæc ſigillatim omnia recenſere neque mei ſtyli, neque præſentis operis poſſet eſſe materia, cum & quod facile ſit, & quod breuioribus valeat explicari referre ſtudeam.

A. Dubio procul de rebus ijs, quæ vberem expoſcunt orationem, ac indefeſſam ſatius nobis eſt conticere, ſeu magis innuere, quàm illa dicendo velle complecti, ut ad multa nobis propoſita citiùs pedem valeamus conferre: Quocirca his nunc omiſſis antequàm ad alia procedamus pariter æquum eſſet illud Raynaldorum Epitaphium ad medium templi in nouo marmore poſitum recenſere.

Fermè



B. Fermè id exciderat ex mente mea, dum tantorum hominum numerum, ac ſplendorem comprehendere cogitabam, accedamus, & illud legentes, ſi quid obſuri continet, id pro viribus explicemus.

HERMANI DVO SVNT HIC PATRVVS, ET NEPOS, QVI LICET NON DIV VIXERINT, AT ITA TAMEN VT SEMPER VIVERENT

S. S.

OBIERVNT P. MDXI. S. MDLXIX.
ABRIGHETVS CAN. TAR.
POSTREMI FRATER M. P.

A. Doctè ſanè, atque eleganter poſitum, quod autem videtur dubium facere in hoc Elogio eſt ille. S. Geminatus, quorum characterum ſignificatio præter alias, quæ videtur propoſito conuenire eſt, ut inferant ſibi ſimiles, vel vt notat Valerius Probus libello de Antiquis litteris ſanctiſſimi, aut ſacroſancti; tametſi crediderim has litteras ſuprapoſitas eſſe P. & S. ſequentis lineæ, vt primus, & ſecundus denotaretur. duo poſtremi characteres palàm eſt quòd inferunt monumentum, ſeu mœrens poſuit, & ſi Probo denotent menſam poſuit, vel memoriam. Porrò tibi dicendum eſſet de his ambobus generoſis Viris Hermani nomine antiquo huic ſtirpi germano, ac familiari inſignitis, ſicuti & de Abrigeto ſuperſtite Canonico exemplari, Viro & litterarum ſplendore, & vitæ inſti-

tutione

*tutione maximè admirando, verumtamen hæc aliàs fortaſſe: dicas nunc amabò quænam, quorum vè ſint duæ illæ arcæ marmoreæ ad iſtius cœmiterij de via publica primum ingreſſum, ſupra tellurem à dextris altera, ac è regione à ſiniſtris altera conſtitutæ, adeo ſibi inuicem & ſitu, & dimenſione qualibet ſimilantes, vt eodem marmore, pari artificio, eodemque tempore lapicidam vnum eas dixeris exculpſiſſe.*

B. *Si rectè obſeruabis inter illas eſt differentia, vt altera nullas habeat litteras, ſed tantummodo paruum Virum equo inhærentem cum haſta ad feriẽdum conuerſa mirabili arte excauatum, leuæ vmbone cum aliquot ſignatis vndis accommodato, vt alicuius ſtrenui militis hanc fuiſſe facilè comprehendas: altera verò in operientis marmoris gyro cuius fuerit ſepultura his characteribus palàm facit.*

SEP. DOMINI ACILESII DE NORDIGLO ET SVORVM HAEREDVM.

A. *Hæ duæ veluti antitheſes mihi memoriæ ſubminiſtrant illud à Plinio Cæcilio in quadam eius Epiſtola regiſtratum de Verginio Ruffo, & de Frontino Viris ſapientiſſimis pari forſan gloriæ cupiditate inflammatis: ſiquidem Ruffus ſibi magnificum, & ſpecioſum monumentum conſtrui fecerat claro hoc titulo decoratum.*

Hic ſitus eſt Ruffus, pulſo qui vindice quondam
Imperium adſeruit non ſibi, ſed patriæ.

*Frontinus autem nihil propemodum ex ijs voluit operari, vtri-*



*vtrique tamen inde, diuerſa licet ratione, gloriam aucupantes: Ruffus ſanè dum debitos ſibi pro ſapientia titulos apponi voluit: Frontinus autem dum generoſo animo hæc omnia habuiſſe contemptui videri maluit: porrò quis fuerit hic Acileſius precor referas.*

B. *Quis ille fuerit non ſatis conſtat, adeo hominum memoriam deſtruit temporum diuturnitas: proptereapercontatus Aſcanium de Nordis Virum nobilem mihi peramicum, cuius magnificas ædes per triennium habitaui: in quibus adhuc permanerem, niſi meliùs conſultus iſtuc penès Franciſcanum cœnobium me cum familia contuliſſem: ibi etenim domum comperi mihi in omnibus valdè commodam, cuius quidem propè factus ſum dominus, modicam ſanè ſoluens noſtris Minoritis Fratribus penſionem: hunc inquàm Aſcanium, qui pluribus ab hinc annis vnà cum Antonio eius fratre Reu. Canonico Ciuitatẽ habitant Fori Iulij, percontatus, perinde atque circum Taruiſina marmora diuagatus comperi, ante tercentos annos eorum Maiores extitiſſe ciues nobiles Taruiſinos, qui paſſim de Nordiglo, ſeu de Nordis nominabantur, cuius rei plura ſunt teſtimonia; primum ſit ſepultura in gentilitio Nordiliorum ſacello ad D. Margheritæ phanum, in qua iſtud Epitaphium tunc temporis exciſum conſtat.*

S. DOMINI NAMIONI DE NORDIGLO BARTH. EIVS FILII, ET SVORVM HAEREDVM. M. IIII. VIII.

*Alterum,*

A. *Alterum, quòd in chronicis, præſertim illis conſcriptis accurata diligentia Bartholomæi Zuccati ciuis noſtri, nominatum inuenio Rambaldum, Muſſatinum, & alios de Nordis, perinde atque Bartholomæum Nordilium, & alios: hic autem Bartholomæus ille eſt ex temporum collatione, qui ſupra in marmore Namionis filius eſt appellatus, vbi vnum aduertendum iudico, hunc ſcilicet Namionem de filio in hoc Elogio mentionem feciſſe, quippe qui vnicus illi tantùm ſuſceptus fuerat: neque velim te nunc ignorare alterum fuiſſe Bartholomæum de Nordiglo, qui circa annum chriſtianæ ſalutis 1330. deceſſit, qui quidem anno 1313. belli tempore in Caſtro Meſtri pro ciuitate noſtra Dux militum meritiſſimò fuerat conſtitutus, qui inquàm coniugem habuit ditiſſimam illā, ſicuti & ſanctiſſimam Matronam Benaſſai de Medulo, quæ anno 1334. moriens abſque liberis inter reliqua multa bona opera legauit pio xenodochio noſtro D. Mariæ verberatorum nomine nuncupato tot, tantaq; prædia, ædificia, atque alia bona, vt duodecim millia aureorum valor iſtorum omnium certè tranſcendat: adhæc arbor huius proſapiæ manifeſtat hos omnes & alios multos ab vno Theobaldo de Nordis fluxiſse ſumpto initio circiter annum trecenteſimum ſexageſimum ſupra milleſimum ab orbe redempto: hi autem duo magnifici fratres ſuperſtites in octauo ab hoc Theobaldo gradu incluſiuè conſpiciuntur. arborem huius numeroſæ genealogiæ mihi videre contigit apud Fratres Heremitanos, uti ad quos poſtremo*



*poſtremo ſpectat tanta per fideicommiſſum hæreditas; Ecquid ſi addidero anno 1564. cum neutiquam hi generoſi Viri propter longam eorum, atque Priorum abſentiā Ciues Taruiſini dignoſcerentur, eos huc aduentaſſe, & per ipſorum proſapiam, atque per Chronica propria Nobilium comprobaſſe eorum Auctores, vt ſic dicam, fuiſſe ex Nobilium Ciuium Taruiſinorum collegio, & propterea eos fuiſſe recognitos, ac omnibus votis in eorum cœtum receptos pariter, ac adſcriptos.*

A. *Audiui hæc omnia non grauatè, verumtamen iſtucuſque ne verbum quidem de illo Acileſio, qui tibi digrediendi ſuper Nordiliorum familia occaſionem dedit, te dicentem animaduerti.*

B. *Iam audias reliquum; in illo à Theobaldo defluxu nullum vtique Acileſium comperi, tametſi plures quinquaginta ab illo deſcendentes maſculi fuerint deſcripti, quare arbitror Ego, cum & ſuperſtites id ignorent, hunc Acileſium fuiſſe Theobaldo oppidò antiquiorem, quod etiam confirmat arca hæc uetuſtiſſima: memoriam autem fieri in hac geneſi deſcribenda à Theobaldo ſumpto principio, uti ab eo, qui tantum inſtituerat Nordiliorum fideicommiſſum: ad cuius ueritatis confirmationem adrogo aliud ſub aliis nominibus Epitaphium Nordiliorum in ædibus D. Laurentij conſtitutum, quod tale eſt.*

SEP. D. GERARDI DE NORDIGLO, ICILINI EIVS FILII, ET SVORVM HAEREDVM. FACTA MCCCXLII.

Vetuſtius adhuc Epitaphium reperitur ad cathedralem Eccleſiam infra Canonica ſecus ædiculam D. Nicolai in ſepulchro finiſſimi marmoris ſub dio ſupra terram conſtructo, in cuius extrema ora, uti in hoc Franciſcano, adhuc ſalui leguntur hè charactères.

SEP. D. VVECELETO DE NORDIGLO ANNO D. MCCXXXVIII. MENSE MADIO.

Hoc ſanè monumento inter Epitaphia antiquius in hac ciuitate hucuſque mihi non contigit reperire.

A. Ego ſanè quandoque ſum admiratus antiquiores lapides hic Taruiſii non extare, cum nihilominus ſciam antiquiores fuiſſe Viros & litteris, & armis præclaros, ac ſtrenuos, quibus nedum Epitaphia, uerùm & Mauſolæa ſublimia conueniſſent.

B. Nulla ulterius mentem tuam occupet admiratio, quandoquidem id pluribus de cauſis eueniſſe clarè conſtat: primùm etenim extant & arcæ operoſæ, & Epitaphia antiquiſſima, in quibus attamen uel nulla temporis memoria facta fuit, uel nullum Epitaphium applicatum, ut uidere eſt complures ad D. Nicolai muros, ad D. Petri, ad D. Andrææ, & hic etiam ubi ſermocinamur: & quotnam ſunt ex illis, in quibus ſanè characteres fuiſſe quandoque conſcripti facile dignoſcuntur,



temporum autem iniuria quid ampliùs inferant, nec oculus Lynceus ualet ulterius ſiſcitari: adhæc nonne plura uides antiqua marmora priſcis abraſis notis perperam denuo alienis tradita rudibus ſuperiniunctis elogijs ſuam illam antiquam magnificentiam deperdiſſe? poſtremò quàm multa in renouandis, mutandis, amplian diſuè ſacellis, paruiſq; templis, ac rudibus nullo reſpectu deſtructa ſunt? Ego ſanè & in altarium gradibus, & in lateribus, ac liminibus oſtiorum non pauca obſeruaui antiqua marmora infeliciter detruncata; demum ſunt multa etiam propter temporum mutationes, propter maceriès telluri ſubiecta, &c., ne ulteriùs loqui ualeant, ſuffocata: quod ſuperiori fermè contigit monumento, quodq; hic ante noſtros oculos his diebus nouimus eueniſſe, dum etenim iſtic foſſam foderent ad plebeium miſerum inhumandum, amplum marmor ſepulturæ forſan nobilis tegumentum detegerunt, quod attamen, dum fractum cernerent, iterum humo ſuperiniuncta ſepultum pariter reliquerunt.

A. Iamdudum aſſentior, quinetiam propter bella, quibus ſæpiùs hæc ciuitas diuerſimodè uexabatur, propterq; eius calamitates, eam præſertim ab impio Athila perpetratam memoriæ huiuſmodi eſſe poſſunt abolitæ: modo his ita conſtitutis, uideamus, ſi lubet, magnum illum, marmoreumq; ſarcophagum penès exitum ſepulchreti huius uerſus portam Vrbis Naniam, quam etiam D. Thomæ portam dicimus, nunquid ille ha-

beat aliquid memorandum:

B. *Accedamus: ſed uide mores illius ſæculi, quomodo iſtud ſepulchrum, quod ſatis antiquum iudico, extat ad templi murum ſupra terram appenſum, vide fornicem illum marmora, ſeu potiùs cadauera ab iniuriis temporum defendentem, ſub quo uſque ad eius apicem ſepulturæ illas ſacras imagines antiquo ſanè mordepictas uidimus, his autem diebus à quodam inerti figulo, nemine impellente, nemine itidem prohibente reſtauratas, ut dedecus ſit uidere quantam fecerit in membris, in lineamentis horum corporum ametriam; ad huius marmoris medium uideo excauatos huiuſmodi paucos characteres.*

S. ILLIVS DE CHOVERTA.

A. *Familia de Chouerta, ſeu potiùs, ut nunc dicitur de Coderta, nonne habitat Coneglani, inde pariter oriunda?*

B. *Habitat quidem, & inter Nobilis eius Caſtri primarias recenſetur: Viri ex hac ſatis antiqua ſtirpe fuerunt quandoq; inter ciues Taruiſinos enumerati, ueluti ſuo tempore Monfloridus, Valpertinus, & alij, quæ ut dignoſcas clariùs, iſtuc referam Epitaphium, quod infra cœnobij iſtius cœmiterium ſupra marmoreum tumulum exciſum conſtat.*

HIC IACET NOBILIS D. D. ODORICA DE COLLALTO VXOR NOB. MILITIS D. MONFLORIDI DE CODERTA DE CONEGLANO.

Fuit



*Fuit hic Monfloridus miles ſtrenuus, de quo in chronicis non ſemel præclara mentio reperitur: eius ædes iuxta pontem Oliuium ſecus aquæ decurſum adhuc antiquæ conſpiciuntur: ſed, & de Valpertino Monfloridi filio iſtud audias; Ille quidem cum totam illam inſulam, ut ſic vocem, cum domibus, atq; aliis ædificiis poſſideret, in qua ad præſens tempus reperitur conſtructum grande illud, ac ditiſſimum Xenodochium, cuius cohærentiæ ſunt Silis, & Cagnanus fluuij, & uiæ publicæ: uendidit illam, ac tradidit cum quibuſcumque acceſſoriis anno Domimini 1332. ipſius Xenodochij Curatoribus libris duabus millibus monetæ Venetæ, quippe ne opus adeo pium, ac celebre, ſicuti nunc cernitur, euaſurum, ſua ipſius negatione impediret: quam uenditionem comprobauit, & ratam fecit eius uxor Adeleta filia Panadini de Straſſio ciuis Taruiſini, & etiam ipſe Panadinus, fortaſſe quoniam hæc fuerant bona dotalia, quam pariter alienationem ex parte ipſius Valpertini iure ſanguinis Gerardacius, Tolbertus, & Schenella filij Nobilis militis Rambaldi Collalti Comites unanimiter comprobarunt.*

A. *Ecquid de perilluſtri Comitum de Collalto proſapia?*

B. *Viri ex hac generoſa familia omni ſæculo celebres, ac glorioſi, opera eorum inſignia, ſtemmatis antiqua nobilitas, Comitatus, & priuilegiorum amplitudo, unicum ſibi, ſatisq; amplum uolumen deſiderarent, quod fortaſſe aliqui facient, uel fecerunt, ut audio.*

Epita-

B. Epitaphiorum, & occaſionis non immemor affero tibi illuſtris Blancæ à te nunc nominatæ Elogium in Caſtro D. Saluatoris poſitum admirandum, ut liqueat clarius quàm meritò Bettuſſius tantam matrem inter tot illuſtres fœminas celebrarit.

Nobilitas, & forma, pudor genuere Colaltam:
Re, fama, exemplo, nomine BLANCA fui.
Mens adiit cœlos, iacet hic quod corpore reſtat,
Iudicium extremum dum ciet ipſe Deus.
Mens iterum rapiet cinerem hunc, ah uiuite recte,
Ne ſit Minois, qui Iouis eſſe poteſt.
Oſſibus oſſa meis tua ſic MANFREDE locabis,
Me inuenies, ſi uis poſt tua fata locum.

Porrò ſufficiat in præſentia, quantum res poſtulat, minimè nos ignorare illuſtrium horum Comitum Auctores (ut ita ſeniores nominem) Eccelinorum tempore fuiſſe ciues nobiles Taruiſinos, & Comites Taruiſij, uel ex Caroli Magni Cæſaris inuictiſſimi Priuilegio, dicebantur: eosq; pro Taruiſina Republica non ſemel certaſſe, ſeq;, ſuaq; omnia pro Reipub. utili, ac libertate ſæpe ſæpius in diſcrimen propoſuiſſe, perinde atque ex illis aliquot Rectores Taruiſij clariſſimos, Antianos, & Conſules extitiſſe: quorum ſublimium Comitum inſignia gentilitia, quarterium ſcilicet ex albo & nigro ſignatum illuſtrium Ducum Brandeburgenſium, unde eos oriundos credimus, inſignia, adhuc ſuper Communis palatio ad perpetuam memoriam infra tot illa cla-

riſſi-



riſſimorum Venetorum Vrbis Præſidum ex marmore extructa conſpiciuntur.

A. Vidi equidem antiquum marmor illud ſcutiforme, ſupra quod nullus Prætor per tot ſæcula inſigne proprium ponere auſus fuit, cum minimè rectum iudicarent perilluſtrium virorum memorias nota aliqua audaciæ ſuis poſitis ſuperare: non indignum tamen cognouit fore Andræas Priolus Taruiſii Rector anno à Virginis partu 1555. Laurentij Prioli Venetorum Principis Sereniſſimi claris inſigniis, ac nominibus illud uacuum occupare, ratus locum illum nemini præterquàm alicui Principi conuenire: ſed & in fronte magni palatij admirabili arte, ac impenſa conſtructi iuri dicundo diſpoſiti huiuſmodi magnifica inſignia uidebantur; quæ nihilominus dum pars illa tanti ædificij ob eius antiquitatem aliquam ruinam minitaretur, ut id repararet, atque elegantiorem palatij proſpectum redderet Bartholomæus Lippomanus, dum iſtac Rex Galliæ pertranſiret, una cum aliis pinnarum, & muri maceriis ceciderunt; quid autem ob id huic Rectori integerrimo Ciuitas monumenti introrſum in aurato marmore conſecrauit, licet ſatis longius petitum, ſi lubet audias.

BARTHOLOMAEO LIPPOM. THOMAE F.
SENAT. PRAESIDI RELIGIONE, IVSTITIA,
INCOMPARABILIQ. HVMANITATE
CLARISS. AB HENRICO III. GALL. ET
IIII. POLON. REGE. XVII. CAL. SEXT.

MDLXXIIII. HAC TRANSEVNTE OB EIVS AMPLISS. MERITA EQVESTRI ORDINE, ET REGIO INSIGNI DECORATO. DEQ. VNIVERSA CIVITATE OPT. MERITO HOC ILLIVS MIRABILI CVRA IVRIS PALATIO INTVS ET FORIS RESTAVRATO, ET ORNATO. GRATI CIVES

H. M. P. C

AN. SAL. MDLXXV.

*Cæterùm præterituri antiqui ſtemmatis Collaltini grandia monumenta alijs glorioſiùs memoranda, noſtro inſtituto inhærentes non alienum certè puto, ſi referamus magnificum Epitaphium, quod Viennæ in templo Carmelitarum ex marmore legitur regiſtratum: vbi & horum Heroum illuſtrium, & noſtræ Ciuitatis ſpecimen emicat fulgentiſſimum. Ecce igitur.*

HIC IACET MAGNIFICVS BARO D. GASPAR DE LAZANO DICTVS SLIK DOMINVS IN VVEISKIRCHEN BAISKIRCHEN DIVORVM IMPERATORIS SIGISMVNDI, ET ALBERTI, FRIDERICIQ. REGVM CANCELLARIVS, EGRENNENSIS, ET CVBITENSIS PVRGRAVIVS, NATVS EX INCLYTA COMITISSA TERVISII, ET COLLALTI, MARITVS ILLVSTRIS PRINCIPIS AGNETIS DVCISSAE SLESIAE.

QVI OBIIT ANNO DOMINI MCCCCXLIX. DIE SABBATI POST FESTVM SANCTI VLDARICI EPISCOPI.

*Verum-*



*Verumenim uerò iamdudum illa duo marmora, quæ ad hanc Auſtralem templi portam à ſiniſtris ſunt poſita contemplabar, quorum alterum in terris iacet, alterum uerò penès illud in muro ſtat firmius eleuatum.*

B. *Tu ſi hæc legeris, tametſi ſtrati marmoris ſub dio poſiti charactères ſtylicidiis ſint ſatis conſumpti, ego pugillari meo ea litteris commendabo.*

A. *In extento itaque lapide iſtiuſmodi ſunt caducæ litteræ.*

FRANCISCAE PARIENTI PEREMPTAE FRANCISCI PETRARCHAE LAVREATI FILIAE FRANCISCOLVS DE BROSSANO MEDIOLANENSIS MARITVS.

*In altero autem erecto ſpecioſo marmore rotundos illos charactères, ita tunc temporis, de eadem Petrarcæ filia, authore incerto, ut uideo, quæ legero carmina ſubnotabis.*

MCCCLXXXIIII. AVGVSTI.

TVSCA parente pio ſed facta Liguſtica dulci
Coniuge, iam proles plurima clara fuit.
Nulla magis ſeu fida viro, ſeu ſubdita Patri,
Seu magis externæ neſcia lætitiæ.
Nomen erat FRANCISCA meum, ſtudiũ ſed honeſtas,
Dos mea ſimplicitas, & ſine labe pudor.

E Me

Me mea ſors uariè puerili uexit in æuo,
Hic immota quies, hic mihi certa domus.
Iam Matrona quidem, ſed adhuc florentibus annis
Eripior terræ, reſtituorque polo.

B. *Ego utique hæc carmina ob ipſorum elegantiam, ac candorem, niſi Poëta prior occubuiſſet, non alterius quàm ipſius defunctæ patris eſſe crederem: porrò ipſa Franciſca Petrarcæ filia, ut tibi rem hanc latiùs manifeſtem, præ infelici puerperio ſuum clauſit extremum diem anno à conciliato Deo 1384. ſub diebus canicularibus magna cum eius Viri Franciſcoli mæſtitia, ut ſuperiùs audimus: quem quidem Franciſcolum Generum Petrarca ipſe in ſuo teſtamento ſibi uniuerſalem aſciuit hæredem.*

A. *Illud euènit huic adoleſcenti, quod eueniſſe tradit Ariſtoteles ipſius Homeri matri, quæ cum ad Meletem fluuium partus doloribus circumuenta diſtineretur Homerum peperit, continuoq; expirauit; cæterùm memini me legiſſe apud Sanſouinum libro poſtremùm edito Franciſcum Petrarcam Virum omni ſæculo glorioſum, dum pro Principibus Mediolanenſibus Legati officio apud Venetos fungeretur, donaſſe, imò ſibi hæredem conſtituiſſe uniuerſæ eius bibliothecæ Senatum Venetum, quod opus egregium cunctis ſtudioſis ex animo peroptandum Patres illi cognoſcentes, ac compenſantes, præter alia dona, illi ædes magnificas ad habitandum cum eius familia dum uiueret condonarunt, & locum magnificum ab igne, ac imbre tutum fornicibus concameratum, nobilibus illis libris in magna copia ſubinde conſtituerunt.*



B. *Verùm ſanè illud eſt, nec propterea impedit uniuerſalem hæredem, cum etiam & plura alia legata in eius ultima uoluntate ſtatuerit, quorum omnium Franciſcolum Generum executorem conſtituit: Quem inquàm Franciſcolum, dum Taruiſinos annales uoluerem, inueni ciuilitate Taruiſina fuiſſe donatum, pluraq; in illum officia diutiùs collocata.*

A. *Ego ædepol, niſi tibi afferre tædium dubitarem, libenter ea omnia, quæ de Viro hoc doctiſſimo Franciſco Petrarca Poeta apprimè artificioſo, perinde atq; Oratore clariſſimo alibi uidi, præſertim Arquadæ in territorio Patauino, ubi eius cadauer ſtat tumulatum, in præſentia recenſerem; neque certè iſtud tibi tædium ſuſpicor allaturum, cum illius operum uſque adeo ſis admirator, ac ſtudioſus, ut non dubitem te tua illa Tyrocinia præ triplicis Lauræ Amore in lucem iam edita conſcripſiſſe, dum ſummo ſtudio ipſius rhythmos hetruſca lingua in honorem Lauræ concinnatos omnium ſapientum ſententia quotquot adhuc extant priuſq; fuerint in eo genere & uerborum candore, & ſuaui numero, & arte mirabili eminentiſſimos nocturna manu uerſares, atque diurna.*

B. *Non inficior me Poetæ rhythmos uoluendo primitias illas meas compoſuiſſe, quarum germanus ſenſus, cum*

E 2 de

*de mea induſtria à nemine intelligatur, plura etenim uel extento uelo, uel nomine permutato, uel alia ratione ex conſulto diſpoſui, iamdudum in animum induxi meum tibi cum alijs ſelectioribus amicis meis, ſi dabitur commodum ocium, aliud opus illo fortaſſe maius in eius dilucidatione materna lingua compoſitum lectitare: modò ad illud, quod de Petrarca referre cupis, dicendum accedas, quandoquidem nil mihi contingere nunc poßet gratius quàm illuſtria illuſtrium hominum Epitaphia cum noſtris ſymbolum obtinentia attentius audire.*

A. *Antequàm illa producam, me bene facturum puto, ſi errorem illius, qui Petrarcæ uitam conſcripſit, quod ad noſtrum facit propoſitum, primò ſubuertam: ille etenim ex Bernardino Corio hiſtoriæ Mediolanenſis auctore ſcribit Franciſcum Petrarcam tale quid poſuiſſe Epitaphium ſuper tumulo Franciſci eius filij bimuli Papiæ mortui: poſtea ſubdit ſe pro certo habere hunc non Petrarcæ filium, ſed nepotem ex Franciſca eius filia Franciſcoli Broſſani coniuge Taruiſii tumulata: cum nihilominus neque ipſemet Petrarca filium hunc uocet ſuum, ſed tantùm Franciſci, nempe eius Generi, qui filium hunc Taruiſii ſuſceperat, ut denotat uerſus penultimus, neque aliter eſt dicendum: illud autem Epitaphium libet hic penès iſtud matris apponere, ut me ueritatem hanc detegiſſe quilibet recognoſcat.*

VIX mundi nouus hoſpes eram, uitæq; uolantis
Attigeram tenero limina dura pede:
Franciſcus Genitor, genitrix Franciſca, ſecutus
Hos, de fonte ſacro nomen idem tenui.
Infans formoſus, ſolamen dulce parentum,
Hinc dolor, hoc uno ſors mea læta minus.
Cætera ſum felix, & ueræ gaudia uitæ
Nactus, & æternæ tam citò, tam facilè.
Sol bis, Luna quater flexum peragrauerat orbem,
Obuia mors, fallor, obuia uita fuit.
Me Venetùm terris dedit Vrbs, rapuitque Papia,
Nec queror, hic cœlo reſtituendus eram.



*Cæterùm illud quodcumque uidimus Patauij, & Arquadæ in collibus Euganeis huc transferamus, ut Franciſci Patris, Franciſcæ filiæ, Franciſci Generi, & Franciſci demum nepotis memoria, ſimul iuncta in D. Franciſci phano indagando eluceſcat: atquì undenam te nunc ita cogitabundum conſpicio?*

B. *Dum hæc omnia mihi enarras, quod circa id nominis ſymbolum ſum ruminatus hoc heptaſticho ſic diſpoſitum precor audias.*

Franciſcus pater eſt, Franciſca eſt nata, Generque
Franciſcus, pariterque nepos Franciſcus, vt omnes
Nomen habent ſancti Franciſci, cuius ad ædes
Verſamur, tumulus Franciſcæ ut adeſt, & adeſſent
Hic omnes utinam, quò noſtra inſignibus iſtis
Elogiis Vrbs, & Templum fruerentur, & unà
Nata, gener, natus, pater inclytus hic tegerentur.

Rectè

A. *Rectè ſanè ut ex tempore: modo ad expectata illuſtria perilluſtris Viri monumenta iam deſcendamus.*

FRANCISCO PETRARCHAE ARCHIDIAC. PARMEN. CANONICO PATAV. VITA, MORIBVS, DOCTRINA, ET ELOQVIO ITA CLARO QVOD EXEMPLVM DESIIT: IS PRIMVS OMNIVM LATINAM LINGVAM A BARBARICAE PRAVITATIS MENDIS INCVLCATAM RESTITVIT, AC VNDIQVE LACERAM EXORNAVIT. QVANTVM AVTEM IN ITALICO NOSTRO IDIOMATE VALVERIT RHYTHMI OB LAVRAE AMOREM COMPOSITI SATIS TESTANTVR, VT OB EOS ALTER NEMO VNQVAM NISI IPSE SOLVS (PACE OMNIVM DIXERIM) QVOD NON MODO PRIMVS, VERVMETIAM VLTIMVS MERITO AB ERVDITIS OMNI AETATE SEMPER HABENDVS SIT. IDCIRCO OB EXIMIAS SVAS TAM ANIMI QVAM CORPORIS DOTES, PRIMAE ALIAR. TOTIVS ORBIS CIVIT. ROMA SCILICET, ET PARISII, VNO EODEMQ. DIE INVICEM CERTANTES (QVOD MIRVM EST) AD PERCIPIENDAM LAVREAM POETICAM NVNTIIS AC LITTERIS EVM EVOCARVNT. QVO FACTO ANN. DOMINI M.CCCXLI. IDIB. APRIL. IN RESVRRECTIONIS FESTO AMICOR. CONSILIO SOLENNITER



ROMANO IN CAPITOLIO MAXIMA TAM ROMANOR. QVAM ADVENAR. PROCERVM, ET ALIOR. ASTANTIVM FREQVENTIA AB VRSO ANGVILLARIAE COMITE, ROMANOQ. SENATORE LAVREA CORONA INSIGNITVS EST.

QVAPROPTER REGVM, ET PRINCIPVM FAVORIB. ET NOBILIVM AMICITIIS VSQVE AD INVIDIAM FORTVNATVS EXTITIT, ET ITA CVM QVIBVSDAM FVIT, VT IPSI QVODAMMODO CVM ILLO ESSENT.

POSTREMO VT FINIS ERAT, EIVS ANIMA TERRENA EXVTA SPOLIA (VTI CREDENDVM EST) CAELVM PETIIT ANNO MCCCLXXIIII. DIE XVIII. IVLII. CVM IAM GRATO IN CARCERE LXX. ANN. SPATIO, VNA MINVS DIE ABSQVE TAEDIO PERMANSISSET.

---

*Corpus uero ingenti funere depoſitum tumulatur Arquadæ in collibus Euganeis ſub dio in ſepulchro rubri marmoris, ubi hoc inciſum adhuc ſpectatur elogium.*

FRIGIDA FRANCISCI LAPIS HIC TEGIT
OSSA PETRARCAE
SVSCIPE VIRGO PARENS ANIMAM,
SATE VIRGINE PARCE.
FESSAQVE IAM TERRIS CAELI REQVIESCAT IN ARCE.

Circa

*Circa baſim ſepulchri.*

VIRO INSIGNI F. P. LAVREATO
FRANCISCOLVS DE BROSSANO MEDIO-
LANENSIS GENER INDIVIDVA CONVER-
SATIONE, AMORE, PROPINQVITATE ET
SVCCESSIONE MEMORIA.

*Super arcæ pinnaculum collocata eſt ænea ipſius Petrarcæ imago, ſub qua inciſum eſt hoc elogium.*

FR. PETR. PAVL. VALDEZVCHVS PAT.
POEMATVM EIVS ADMIRAT. AET. AGR.
Q. POSSESSOR, HANC EFF. P.
ANN. MDXLVII. IDIB. SEPTEMB.
MANFREDINO COMITE VICARIO.

*Porrò in eodem loco in pariete baſilicæ in marmorea tabula hoc pariter ſpectatur Elogium.*

DANTI ALDIGERIO, FRANCISCO PE-
TRARCHAE, ET IOANNI BOCATIO VI-
RIS INGENIO ELOQVENTIAQVE CLA-
RISSIMIS ITALICAE LINGVAE PAREN-
TIBVS, VT QVORVM CORPORA MORS, ET
FORTVNA SEIVNXERAT, NOMINA SAL-
TEM SIMVL COLLECTA PERMANERENT.
IOANNES BREVIVS CANONICVS CENE-
TENSIS HVIVS BASILICAE RECTOR IN
SVI ERGA EOS AMORIS OBSERVANTIAE-
QVE TESTIMONIVM POSVIT. MDXXIIII.

*Doctè*



B. *Doctè mehercle, & lepidè ſicut condignè hæc omnia, neque unquàm ſatis de adeo ſublimi Viro in omnibus exemplari: ueruntamen cum in hoc poſtremo Elogio referendo de Dante Aldigerio magnificam, quod æquum erat, feceris mentionem, memoriam meam excitaſti circa tumulum Petri eiuſdem Dantis filij iuriſconſultiſſimi iſtic Taruiſii in cœmiterio Fratrum Heremitarum ſepulti: eſt ſiquidem extra portam templi occidentalem in ſacro ueſtibulo penès ſacrarium altiori loco fabricata arça marmorea magni ſumptus dormientis hominis lapideam ſtatuam continens, ſub qua leoninis uerſibus tale Epitaphium inciſum extat.*

Clauditur hoc Petrus tumulatus marmore tetrus,
Aſt anima clara cæleſti fulget in ara.
Nam pius, & iuſtus iuuenis fuit, atque uenuſtus
Ac in iure quoque ſimul inde peritus utroque
Extitit expertus multorum & ſcripta repertus,
Vt librum patris punctis aperiret in atris.
Cum Genitus DANTIS fuerit ſuper aſtra uolantis
Carmine materno decurſo prorſus Auerno,
Menteq; purgatas Anima releuante beatas,
Quo fama Diue gaudet FLORENTIA Ciue.

*Horum carminum ludicrè reſonantium incertus eſt auctor, & in illis extant nonnulli errores, ut palàm eſt, bonis poetis minimè tolerandi. Tria poſtrema carmina, licet pinguia, de Dante ipſo ſcripta crediderim, tametſi non ſatis gratus ciuibus Dantes fuerit, cum ab*

F *illis*

*illis perpetuo fuiſſet exulio relegatus: de illo inquàm hæc dicta fuiſſe exiſtimo per ea uerba, carmine materno, & quæ ſequuntur: quibus auctorem intelligere uoluiſſe puto diuinum illud opus Dantis comœdiam materna lingua compoſitam, quam hic eius filius dilucidans, ut etiam notat Landinus, fuit feliciter commentatus; &, ita me Dij ament, ſi aliquid boni eſt in hoc decaſticho, iſtud ſolummodo eſſe autumo, quòd in duobus illis carminibus, penultimo ſcilicet, & antepenultimo, & comœdiam ipſam, & totius operis apicem comprehendit, quandoquidem in ea & Infernus, & Purgatorium, & Paradiſus includitur, quæ omnia his duobus uerſibus concludit auctor.*

Carmine materno decurſo prorſus Auerno,
Menteque purgatas anima releuante beatas.

A. *Libentiſſimo animo hæc audiui, & fateor me huc uſque latuiſſe arcam illam eſſe Petri Aldigerij ſepulturam: cæterum & tu meam memoriam concitaſti, quo fiet, ut referam in præſentia ipſius Dantis Epitaphium à me Rauennæ uiſum ſanè apud monachos Franciſcanos, dum iter agerem per Picenum: quod quidem à Petro Bembo Cardinali cunctis gentibus celeberrimo dictatum fuit.*

Exigua tumuli Dantes hic ſorte iacebas
Squallenti nulli cognite penè ſitu:
At nunc marmoreo ſubnixus conderis arcu,
Omnibus & cultu ſplendidiore nites.

Nimi-



Nimirum BEMBVS Muſis incenſus Hetruſcis
Hoc tibi, quem imprimis hæ coluere dedit.

*Sed & relati Boccatij Epitaphium refero quod Certaldi in ædibus Sanctorum Philippi & Iacobi mihi contigit lectitare, ut quorum memorias ſimul unico in elogio coniunxit Breuius, nos eaſdem proprijs tumulis ſupraſcriptas ſermone unico pariter complectamur.*

Hac ſub mole iacent cineres ac oſſa Ioannis,
Mens ſedet ante Deum meritis ornata laborum;
Mortalis uitæ genitor Boccatius illi,
Patria Certaldum, ſtudium fuit alma poeſis.

B. *Culta utique ſunt hæc carmina, præſertim ea in Dantis gratiam exarata, aſt illa Heroica, quæ ipſemet Dantes Rauennæ ægrotans, ac moribundus, ut tumulo inſcriberentur compegerat, quæque fuerant applicita, ut recitat Marcus Guazzius, tametſi poſtea temporum iniuria labefactata, non minorem laudem crediderim promereri. audi.*

IVRA monarchiæ, ſuperos, Phlegetonta, lacusq;
Luſtrando cecini uoluerunt fata quouſque,
Sed quia pars ceſſit melioribus hoſpita caſtris,
Actoremq; ſuum petiit felicior aſtris,
Hic claudor Dantes patriis extorris ab oris,
Quem genuit parui FLORENTIA mater Amoris.

*Vnum adhæc de his celeberrimis uiris, patre inquàm & filio, addere eſt animus, quòd ſcilicet eorum familia non Aldigeria ut tu dicis cum Breuio, & aliis*

multis; ſed Aligera eſt appellanda: & duplici ad hoc aſtruendum moueor auctoritate, ſeu ratione, quarum altera eſt Ioannis Boccatij ſcriptoris lepidiſſimi illo in rhythmo, in quo Dantis laudes proponit, ſic ordiente:

DANTE Aligeri ſon, Minerua oſcura
D'intelligenza, e d'arte, & cæt.

Ac pariter Landini, & Ludouici Dulcis in Poetæ uita explicanda, ubi ex Aligerorum familia, ipſum fuiſſe demonſtrant, eo quoniam in gentiliciis eius inſignis alæ reponerentur. quod præterea me in hac opinione retinet firmiùs illud eſt, quòd ex utroque latere marmoris iam dicti Petri hic Taruiſij conditi appoſita ſunt inſignia, quorum alterum eſt tantummodo coloratum, alterum uerò aureis alis illuſtratum apparet. cur autem & in pila marmorea, quæ aquam benedictam continet ad oſtium penès arcam ſint etiam duo hæc inſignia, & in eorum medio ſit illud Communitatis noſtræ Taruiſinæ non ſat habeo, niſi dicamus Communitatis licentia ad hunc locum extero concedendum interfuiſſe, ſicuti & quid in cauſa fuerit, ut in tabella marmorea, ubi ſunt iam dicta carmina leonina, in fine abraſæ fuerint litteræ multæ, ultra mihi non libuit percontari, contento ſcire eas fuiſſe oblitteratas aliqua ratione, ne ulterius ampliùs legerentur. Aliud poſtremum omnium me nunc ſuperaddere patiaris, uidelicet ex quattuor illius cauædij, ſeu clauſtri partibus duas fermè integras à diuerſis Florentinis fuiſſe cum uariis picturis, ac cœnota-



notaphiis occupatas, quorum memoriæ partim adhuc perdurant partim à calcantibus, atque etiam deturpantibus modis pluribus extant labefactatæ, quinetiam quædam immutatis litteris ab aliis uſurpatæ conſpiciuntur.

A. Eſto nihilominus & ipſe Boccatius in tradenda origine, uita, & moribus Dantis ſub initio eius operis aſtruit Poetæ familiam priùs ex Aldigeris dictam eſſe, poſtmodum autem, detracta d. littera, de Aligeris, qui quidem auctor Dantis mortem commemorans ait magiſtrum Ioannem de Vergilio Bononienſem tale Epitaphium poſuiſſe, cuius medietatem retuliſti, præcedentia autem carmina ſunt hæc, quæ ſanè miror quomodo ob eorum errata plurima Boccatius recenſuerit.

Theologus Dantes nullius dogmatis expers,
Inclyta fama cuius uniuerſum penetrat orbem
Dantes Allegherij Florenti genitus vrbe,
Conditor Eloquij lumen decusque muſarum
Vulnere ſæuæ necis ſtratus, ad ſydera tendens,
Dominicis annis ter ſeptem mille trecentis;
Septembris idibus præſenti clauditur aula.

Sed dicas, undenam tot Florentini Taruiſij tunc temporis habitabant?

B. Iam audias. per ea tempora ſcilicet circa ſalutis annos 1340. complures Florentini ſanè expulſi à patria ob factiones dictas albam, & nigram, quod & Danti cum filio contigit, ſeſe ad habitandum Taruiſium

uiſum recepere: ex illis autem, qui decedebant in unum ſibi præparatum, ac uſucaptum locum, atrium ſanè iſtud reponebantur, inter quos Petrus Aligerius magnificentior extitit, ſi tamen ex tumulis de nobilitate licet facere coniecturam: anno autem, qui iam dictis ſubſequebatur, à Venetis expulſi fuere Taruiſio Florentini, quoniam debitum trigintamillium aureorum occaſione ſuperioris belli ab ipſis contractum ſoluere neglexerunt: ut notatum reliquit in eius hiſtoria Bartholomæus Zuccatus, quam nepos eius ex nepote coniugio nimis aſſeruat nobilis ciuis noſter Montanarius Rauagninus. Vnum ex illis iſtuc transfero monumentum, cum etiam inter nobilium Taruiſinorum Collegium eius familia tunc ditiſſima fuiſſet iam pluribus annis tranſlata, quod tale eſt.

SEP. PROVIDI VIRI S. CINI DE BARISANIS DE FLORENTIA HABITATORIS TARVISII, ET SVORVM HAEREDVM, QVI OBIIT MCCCLXXVIIII. DIE VII. AVGVSTI.

Non poſſum ullo pacto cum ſilentio præterire de hoc Cino unum maxima dignum admiratione, ac ſtupore, ſcilicet, quod poſteaquàm ueſpere in hoc buſto ſub graui marmore cum ſolennibus exequiis conditus eſſet, noctù hora matutinali Monachi inter eundem ad debita officia recitanda ſtrepitum circa hanc tumbam audientes, & ululatum admirabundi, nec minus tremebundi



bundi acceſſere, & dignoſcentes hanc eſſe uocem heſterna die tumulati Viri, accenſis lampadibus, & quò meliùs potuere lapide ſubleuato, uiuentem ibi hunc iam deploratum hominem inuenerunt, qui inſtar quatriduani Lazari de monumento ſtatim ſurgens domum abiit, miro cum relictæ uxoris, ac omnium ſtupore, & ſeſe bonis reficiens alimentis, uitam pariter, ac ſanitatem modico temporis interuallo recuperauit: atque deinde, quod adhuc maximè eſt admirandum, cum antea per ſexdecim annos cum coniuge propria uitam duxiſſet, nulloſq; unquàm ex illa filios ſuſcepiſſet, quartum adhuc ſupra decimum uiuens annum ex eadem filios duos mares, ac filiam habuit, qui poſtea diù uiuentes nobilem familiam de Bariſanis, pluribus ſubinde relictis poſteris, propagarunt.

A. Rem hanc poſtremam teſtimonio marmoreo, ſi lubet, corroboremus, in quo & Cinus hic, & Ricciardus alter eius filius poſthumus quippe, & non poſthumus, nobiles, ut dixeras, recenſentur.

B. Ego inquàm nullum aliud ſepulchrum comperi huius familiæ, tametſi diligentiùs exquiſiuiſſem, ſed fruſtra, quoniam audiui omnes defunctos huius originis unà cum Cino in dicto ſarcophago tumulari.

A. Credo equidem, ſed audi quid ego minus id cogitans, circa pilam uocatam aquæ benedictæ receptaculum ad eiuſdem ingreſſum templi ſcalptoris opere exciſum comperi fortuito.

HAEC

HAEC PILA FECIT COMPILARI NOBILIS VIR DOMINVS RIZZARDVSQ. NOBILIS VIRI DOMINI ZINI DE BARISANIS.

*Vbi ſunt inſignia eadem, quæ in ſepulchro, cum gallo ſuper caſſide, hoc chirographo ſuperiniuncto.*

PONI MENTE.

B. *Ego ſepulchris intentus marmor illud excauatum præterij, memini tamen apud noſtros Minoritas comperiiſſe Floſaliſiam Bariſanam præclaram fœminam ante annos octuaginta ijs & pecuniarum, & tritici legatum liquiſſe: ſed fortaſſe nimis tuam mentem à Franciſcanis elogiis hucuſque diſtractam tenui, iam ex conſulto ad illa ſicut corpore, ita & animo tecum reuertor.*

A. *Nihil hucuſque, quod mihi non fuerit ſcitu gratiſſimum, propoſuiſti, neque aliter tantorum hominum merita requirebant: cæterùm uideamus extra pro foribus ad occidentalem partem ſub dio illa plura ſimul ſepulchra compoſita, nunquid ex ijs poſſimus aliquid boni expiſcari.*

B. *Horum aliqua, ut cernis, Epitaphio priua iacent, aliqua uerò & temporum, & calcantium hominum cauſa uſque adeo conſumpta, ut ſigna quidem appareant, charactères autem combinari nequaquàm poſſint, aliqua poſtremò nullam merentia mentionem: eſt tamen unum memoria dignum marmor ſic clariùs exaratum.*

SEP.



SEP. S. IACOBI FONTANA, ET FRATRVM, ET HAEREDVM SVORVM. MDXVI.

*Non quidem ex pingui hoc dictamine dignum memoria, ſed ex illuſtri uiro ab hac familia oriundo, qui adhuc inter nos uiuit ſeptuagenarius Ioannesbaptiſta Fontana vir in medicina uſqueadeo uerſatus ac ſedulus, ut & uerbo, & opere omnes (crediderim) huius ciuitatis, aliarumq; plurium Phyſicos antecellat: qui tametſi hucuſque typis expromere nihil uoluit, multa tamen à pluribus peroptata opera in medicina conſcripſit, quæ, ſi producantur, cunctis artem callentibus fore gratiſſima non eſt dubitandum; cuius mentis hactenus fuit affinis meus honeſtiſſimus Gaſpar Curtius Naſcimbenius eius nepos ex fratris filia, philoſophus perſpicaciſſimus, quinetiam cætera doctus, qui inquàm uſqueadeo latinis pariter, ac Etruſcis fauetur Muſis, ut eum uniuerſum uitæ curſum in Helicone dixeris traduxiſſe: Verumenimuerò his alijs marmoribus ita humilibus, corruptisq; prætermiſſis, iam tempus erit, ut infra maiorem hanc templi ianuam tranſcendamus: ubi primo intuitu ad partem dexteram penès hanc aram D. Mariæ ab Angelis pluribus indulgentijs illuſtratam per tres gradus à ſolo ordinario elatum uides antiquum hoc marmoreum monumentum, ad cuius medium coopertorij, tales comperiuntur litteræ inciſæ.*

G SEP.

SEP. DOMINI FRANCISCHINI DE BVRSIO IVRISPERITI, ET SVORVM HAEREDVM.

A. *Mihi liceat te in præſentia percontari, quiſnam fuerit hic Franciſchinus, ſiquidem unius Franciſci de Burſio audiui aliquando ex annalibus opera egregia.*

B. *Tibi hæc omnia cumulatiſſimè commonſtrabo: ſi primo unum antiquitatem huius arcæ cum alijs atteſtaturum, cum præſertim in earum nulla tempus expreſſum pateat, aduertendum dixero: hanc ſcilicet arcam marmoream ſimul, atque duas illas à me ſub operis initio recitatas, una cum alia conſimili infra cauædium poſita, quæ eſt Dominorum de Tempeſta, de quibus ſuo loco uerba faciemus condigna, ac poſtremo aliam Lignamineorum familiæ deſtinatam, extra templum in pariete ſecus aquæ decurſum antiquitus extitiſſe: protracto autem templi corpore, eas è muro auulſas, ut capacius fieret ſepulchretum, aliò fuiſſe repoſitas: duas illas uidelicet pro foribus cœmiterij, illam, quæ Tempeſtæ familiæ erecta fuerat, in cœnobium, hanc autem Burſiorum ſtatim infra templum, ut erat moles maximè grauis, perinde atque ad alteram ianuæ partem in ſacello itidem Beatæ Mariæ, & Apoſtolorum Philippi, & Iacobi Lignamineorum illam conſtitutam fuiſſe. Cæterùm fuit Franciſchinus de Burſio nobilis ciuis Taruiſinus, qui anno ab exaltata humanitate 1388. dum Franciſcus de Carraria Dux, Dominus, ac Bellator*



*lator ſtrenuus per ſuos officiales Taruiſium cum eius agro uniuerſo popularetur, habito priùs inter ciues, & proceres maturo conſilio, Claues Vrbis Taruiſij, & uniuerſam ditionem, ac iuriſdictionem ciuitatis, territorij, uillarum, oppidorum, omniumq; terrarum, nemorum, poſſeſſionum, ac domuum ad Commune Taruiſij ſpectantium, & pertinentium inclyto Duci Venetiarum Antonio Venerio pro ſe, & ſuceſſoribus ſuis acceptanti detulit, ac præſentauit. Qui quidem nobilis iuriſperitus tunc temporis Ancianus, Ancianorumq; iudex, Conſulq; Communis, ac Vniuerſitatis Taruiſii Syndicus fuit electus, ac conſtitutus: à quo poſtmodum tempore (ut parergon hoc ſuperaddam) uſque in hodiernam diem, excepto quodam pro certa occaſione breuis temporis interuallo, ſub feliciſſimo Venetorum Dominio tuta permanſit Ciuitas noſtra, ſemper amplior reddita, domorum nobilior, incolarum copioſior, ciuium, doctorumq; hominum magnificentior: & quod mirandum gratulandumq; nobis eſt, eum in modum muris, foſſis, ac fluminibus circumquaque munita, ut proculdubio cum ab alijs Auctoribus, cum magis à recentiſſimo Laurentio de Anania in eius mundi fabrica inexpugnabilis iure meritò cenſeatur.*

A. *Memini me legiſſe Venetijs infra D. Ioannis & Pauli operoſum templum ſupra Roſarij portam iam dicti inclyti Venetorum Principis Epicedium carminibus, auratoq; opere ſpecioſum, in quo huius facti memoria*

*moria aliqua eſt regiſtrata, quod precor audias.*

Quiſquis ad inſignem tumulum tua lumina flectis,
Ingentem cuius cineres hæc marmora ſeruant,
Contẽplare Ducem, Princeps hic ille per omnem
Venerio fama uolitans Antonius orbem,
Qui tribus hanc Vrbem luſtris, totidẽq; per annos
Rexerat æternis muniens ea tempora factis:
TARVISINA ſuæ caſtella, & mœnia matri
Reddita, Dyrrhachium, Corcyraq;, & oppida forti
Plurima parta manu, pœnas ſibi ſumpſit ab illo
Quem genuit, nomen metuit dum perdere iuſti.
Ipſius ut clarum micuit præſentia ſydus
Reddidit Vngaricæ Reginæ ſceptra ſuorum
Rapta dolis, ne triſte iugum Furlane ſubires
Obſtitit, Italicam pacauit multa per oram
Turbida, poſt terris abiens ſeſe intulit aſtris,
Mille quadringentis Chriſti cedentibus annis
Inſtitit atra dies trigeſima trina Nouembris.

B. *O' felicem memoriam, quam certè admiror, cum ea retineas omnia, quæ tibi unquàm, uſquàmuè, ut audio, contigerit lectitare: neque iſtud admiror, ut impoſſibile ſit omnium meminiſſe, quo diuino munere, ſi unquàm alius nunc potitur iuuenis ille Iacobus Critonius Scotus, quem Venetijs, & Taruiſii, ſicut alij ubique locorum, non ſemel ſumus experti: cuius, præter alias plurimas, profeſſio ea eſt celebris, ſe nullarum rerum, uerborum,*

*litte-*



*litterarum, operum, nullorum uoluminum, quotquot innumera legerit, ſeu uiderit, obliuione, neque hæſitatione uel minima detineri: ſed miror undenam iſtud proueniat, à natura uidelicet, an ab arte, à quorum neutro tale monſtrum crediderim efformari, cum ex centenis millibus hominum uix unum talem, uel duos ualeas reperire, natura autem ut in pluribus operetur, & ars pariter naturam quantum ualeat imitetur: à Deo igitur, uel à Dæmone: niſi potiùs dicamus iſtud eſſe, poſt Dei nutum, & naturæ, & artis extremum conatum, ac glorioſum: uerùm dicet aliquis, fortaſſe cupreſſum ſcis ſimulare, ſed nunc non erat huic locus, cum de Epitaphijs ſermo noſter ſit inſtitutus, igitur ad rem propoſitam me conuertam.*

A. *Tametſi iocò mecum dicere quodcumque malueris tibi iam antea liberum ſit, nollem nihilominus, ut tertiam animæ meæ potentiam efferens, limites adulationis ingredereris, & ſicuti iocò mecum nunc agis, ita iocò te hanc de memoria dubitationem ſuſpicor promouiſſe.*

B. *Imò ſeria loquor, & rem difficillimam ſtatuo, ac propemodum impoſſibilem omnium rerum, uerborum omnium meminiſſe.*

A. *Difficilis ſanè res eſt, ſed cum hic non ſit de memoria diſputandi locus, hæc breuiſſimè de illa mihi nunc liceat conſtituere: omnium, quæ in uniuerſo orbe contingunt, triplex eſt ſtatus: ſunt etenim uel præſentia, uel præterita, uel futura: memoria non eſt futuro-*

*rum*

rum, eorum ſiquidem eſt Diuinatio, non præſentium quia ſenſus, igitur præteritorum eſt memoria, ſicuti ſtatuit Ariſtoteles libro proprio: horum autem, quotcumque uideris, recordari non eſt adeo miraculum, ſi hæc tria rectè conſiderentur: alterum quidem quòd talem animæ noſtræ tribuit potentiam creator optimus à principio, & tunc quando rectè exercet munus ſuum, quod eſt memorari, non unum, uel plura, ſed omnia, quotquot nouerit intellectus, ſuam ſibi determinatam perfectionem acquirit, ſicuti ſenſus in ſenſatione illorum omnium, quæ ſub ſenſum cadunt; alterum, quòd temperatura inſtrumenti ipſius memoriæ talis ſit, ut nullis qualitatibus ſuperetur, nullis impedimentis præpediatur: & propterea ualde ſenes, ac iuniores prædominantibus qualitatibus, ac humoribus obliuione ut plurimum detinentur: poſtremum ut candidus ſeruetur ordo in rebus memoriæ imprimendis, ac commendandis, confuſionem etenim in addiſcendo turbidam memoriam parere experientia eſt comprobatum: uerùm his ſpeculationibus in undecimum Cœlij Rhodigini antiquarum lectionum librum reiectis ad Epitaphia deſcendamus.

B. Iam illa referam, ſi tibi primùm dixero & Taruiſium noſtrum his temporibus tale ingenium protuliſſe, noſcimus etenim atque experimur, quem Roma, Gallia, & Hiſpania ſæpius ſunt expertæ. Illuſtrem Equitem, legumq; Doctorem Clariſſimum Conſtantinum

num



num Leonidam ciuem noſtrum nobis peramicum, & ingerio, & memoria feliciſſimum. Cæterùm ecce tibi alter Burſiorum breuiſſimus titulus ſepulturæ ad ædes Franciſcanorum obſeruantium conſtitutæ.

IO. PETRVS BVRSIVS PATRICIVS
T. P. A. MCCCCLXXX.

A. Et de hoc magnifico uiro tibi dicendum eſſet, & de Florauanto Burſio Iuriſperito, qui anno à Chriſti aduentu 1339. Clariſſimo Marino Faletro primo pro Venetorum Dominio Taruiſij prætore exiſtente, conuocato conſilio conſtitutus fuit procurator nomine Reipub. Taruiſinæ ad comparendum coràm ſanctiſſimo Pontifice Benedicto, & eius Cardinalibus, & Auditoribus ad ſupplicandum, & impetrandum declarari ciuitatem iſtam, & territorium non ſubiacere interdicto facto Dominis Scaligeris; præterea dicendum eſſet de Bernardino Burſio, Equite milite ſanctæ Mariæ de Foſſis, qui adhuc uiuit octogenarius, ſed quicquid malueris proſequare, ego duos illos charactères interpretor, Taruiſinus poſuit, ſiue teſtamento poſuit, ſiue poſtremò cum Probo titulum, ſeu terminum poſuit.

B. Nihil ulteriùs de his in præſentia recitabo, quandoquidem & de alijs multis huius familiæ uiris illuſtri memoria dignis mihi dicendum eſſet, nimiſq; ultra propoſitum uagaremur, ſed horum loco (quod ad noſtrum

faciet

*faciet inſtitutum) titulum referam, quem illuſtris Eques iuriſq; conſultus percelebris huius ordinis Prior digniſſimus ſub ara à ſeipſo in D. Margherita phano honorificè fabricata conſtituit.*

QVAM OLIM AVVS PIE' ARAM EREXERAT, EAM IAM VETVSTATE COLLAPSAM COMMVNI IMPENSA RESTAVRARVNT NEPOTES MATTHAEVS MILES B. MARIAE VIRGINIS GLORIOSAE, ET PRIOR S. MARIAE MATRIS DOMINI DE FOSSIS, AC EQ. AVR. ET LVDOVICVS PATRVELES AMBO IV. CON. DE BETHIGNOLIS. ANNO DOMINI MDLVI.

A. *Te per amicitiam noſtram obſecro, ut mihi narres qualis ordo fuerit militum iſte quem refers.*

B. *Quod clarè non calleo, grauatè quidem refero: nihilominus dicam tibi quod aliàs audiui: ante quædam ſæcula hic in proximo extra mœnia, ſanè ultra foſsas ad Silis ripas, quo lue uenefica infecti his temporibus deportantur, fuiſſe monaſterium, ſeu collegium aliquot militum nomine Gaudentium, & Templum D. Mariæ matri dicatum: huius ordinis indultis, atque inſtitutis liberum erat ſibi coniugem deſponſare, deſponſatamuè antea retinere, & inter illos ſenior, ſeu probatior Militum ordinis Prior appellabatur. hic ordo, neſcio quo fato, obſoleuit, perijt, prouentus autem, &*

*Prioris*



*Prioris nomen, & inſignia uni ex ſenioribus inter nobiles Taruiſinos, dum uiueret, fuerunt adiudicata, ſicuti contigit nobilibus ſupradictis, & obſeruabitur in futurum. Sed his prætermiſſis in templum noſtrum licentiùs redeamus, igitur ex hac altera parte infra oſtium Franciſcanum conſtat Zaghiorum Sacellum, dicam autem clariùs Lignamineorum: conſtruxit etenim illud, & dotauit Philippus Lignamineus ciuis Taruiſinus, de quo inferiùs quædam relatu digna libuerit recitare, ut hos duos inſignes viros Philippum, & Franciſcinum ita cum monumentis à lateribus ualuarum inuicem proximos, virtute inter ſe in tutanda, conſignandaq; Dominio Veneto hac ciuitate certantes, nos ſimul etiam, ut æquũ erat, eos ſummis laudibus celebremus.*

A. *Qua de cauſa hoc ſacellum Zaghiorum uocaſti, cum ſit Lignamineorum?*

B. *Dixi propterea, quoniam hi è Cadubrio ſunt antiquitus oriundi, & primùm de Zaghis nominabantur, cum uero Lignaminum mercaturam à proprijs laribus deuectam ſoli propemodum Taruiſij tunc temporis exercerent, per excellentiam quandam à Lignamine ſunt appellati; altera inſuper ratione hanc Capellam Zaghiorum uocaui, quippe quoniam ibi extat meorum conſanguineorum de Zaghis antiquum marmoreum monumentum, cuius titulus cum uetuſtate, & attritu fuiſſet conſumptus, his annis proximis tale Epitaphium decreuerunt reponi.*

H PRO-

PROVIDO VIRO MARTINO ZAGHIO, QVI SANVS VIDIT ANN. IIC. ET IIII. GENERAT. OB. MDLXXVI. IOANNES F. ET SIBI, ET POST.

A. *Recordor huius centenarij ſenis, & bonæ complexionis, & probitatis illius.*

B. *Fuit hic frater illius Dominici, qui ante ſexaginta annos moriens legauerat uigintiquinque tritici modia huic Conuentui Franciſcano, monachis pro eius familia anniuerſarium iniungendo. hoc Ego ſenunculo ſermocinante tanquàm hiſtorico neotherico, atque oculato teſte, ſæpius uſus fui. Sed ad Philippum Lignamineum, à quo declinaueram, me conuerto. Dico igitur hunc animoſum virum anno ſalutis 1509. quo temporis curriculo res Taruiſinæ in ſummo iactabantur diſcrimine, atque de rerum omnium ſumma conſilium apertis ianuis tractabatur, de traditione ſcilicet ciuitatis Maximiliano Cæſari, qui tunc temporis Patauij remorabatur, quod iam metu deuaſtationis, ac depopulationis inter optimates, & proceres erat ſtatutum: hunc inquàm virum inter alios ex parte ſequente populo pro conſeruanda Veneto Dominio hac ciuitate perſtrepuiſſe, rem præ populi ſtrepitu in craſtinum diſtuliſſe, atque tum accelerato Venetorum auxilio propriam patriam ab Imperatoria manu tutaſſe: quo generoſo facinore factum fuit, ut, habita uera fide magni animi, atque operis huius viri, Leonardus Lauretanus tunc*





*Dux inclytus Venetorum utile, ac honorificum illi, & poſteris priuilegium demandaret.*

A. *Huius memorandi facti mentio, de cuius origine, ac cauſa crediderim elegantiſſimum Fracaſtorium in fine primi libri eius Syphilis intellexiſſe, quando dixit:*

Parte alia Cæſar ferro ſuperabat, & igni
Euganeos, placidumq; Silim, Carnumq; rebellẽ,
Et totum luctus Latium, mœrorq; tenebat.

*Huiuſmodi inquàm mentio me inuitat, cogit, ac ſurripit iuremeritò ad dicendum de nunquàm ſatis celebrato facinore Marci de Crema ciuis noſtri Taruiſini, qui eodemmet tempore, quo res Taruiſinæ conflictabantur, eadem die, qua Cæſari ciuitas tradebatur, primus fuit ad arma capeſcenda, ad populum concitandum, & eleuato quodam uexillo animum ſequenti artificum manui adhibendo, acclamandoq; viuat Sanctus Marcus: incolumem Venetis, iam deſtinatam Maximiliano Imperatori, ciuitatem ſeruauit: quod generoſum opus nullis unquàm ſæculis obliuione obuoluendum, fermè à cunctis Italicæ hiſtoriæ ſcriptoribus iuremeritò celebratur, cui ſanè glorioſo viro in tanti operis recognitionem adeo amplum Priuilegium Princeps conceſſit, ut, præter ducentorum aureorum utilitatem annuam in perpetuum, præter domum ad habitandum nobilem, de propemodum infimo ad ſupremum in ciuitate gradum ipſe cum deſcendentibus fuerit prouectus,*

*ut gaudeat omni, & quocunque beneficio cuiuſcunque ciuilitatis hic Taruiſij conſideratæ.*

B. *Viuit nunc nobilis eius nepos ex filio Marcus de Crema affinis mihi dulciſſimus cum caris filijs. Cum autem circa ſepulchra uerſemur, duo huius generoſæ familiæ Epitaphia, atque ea multam antiquitatem redolentia, in D. Protomartyris Laurentij delubro ſuper marmoribus excauata liceat in præſentia recenſere.*

CATHERINAE VXORI CARISS. QVAE MIHI LIBEROS VTRIVSQ. SEXVS QVINQ. PEPERIT, MARCVS DE CREMA ET SIBI ET POST. V. P. VALE VNICVM MEI DELICIVM.

H. M. H. S.

*Alterum autem ibidem ab hoc parùm diſtans, eſt tale.*

LAVRENTII CREMA NOT. CINERES INTVS EXTANT. ID QVIDEM VXORE FILIISQ. CVRANTIB. MDLVIII.

*Sed, Dij ueſtram fidem, debeo'n reticere alterum huic monumentum ualde propinquum, cui uxor mea, dum intra paterna moraretur, morereturuè domicilia iamdudum fuerat deſtinata? præſertim quoniam & finitimi, & affines, & comites ſint, ſeu magis fuerint, in illo præſertim illuſtri facinore Egregij uiri iſtic inuicem*



*uicem tumulati? tale igitur eſt eius progenitorum marmoreum Epitaphium, quod clarum, & facile bonis illis antiquis ciuibus inſcribi placuit.*

MARTINI ET PETRI FRATR. DE AMICONIBVS CIVIVM TAR. ET SVORVM HAEREDVM.

*Quòd autem fuerint Amiconij generoſi, & antiqui ciues, & qua fide pro Veneta Repub. per longos annos militaria geſtauerint ornamenta: ut etiam Andræas Cæſaris ſoceri mei pater magnæ agreſtium manui præfectus proprijs ſumptibus in Venetorum expeditionibus præſtò fuerit, perinde atque Aloyſius huius frater toto obſidionis Taruiſij tempore arma induens ſummi Prouiſoris Io. Pauli Gradenici ſecretarius extitit ſolertiſſimus; quàtum in muniis publicis obeundis; in Tabellionum gradu præſentia, & ſapientia, & fauore illuſtrando ualuerint, non eſt huius loci digreſſio, cum non me lateat nunc cymbam meam extra proprium alueum fluctuare.*

A. *Niſi tu hoc ſermone teipſum uelle extollere uidereris, cuperem ulteriùs audire, cum non ſemel mihi obtigerit de claris huius familiæ uiris in ſcripturis publicis lectitare: ſed utquid hic famulus aduerſum te adeo ſuſpirioſus accurrit?*

B. *Reuocor domum, urgentiſſima, ut refert, de cauſa: & ò utinam ſecundet res Deus, ſi mihi ueniam ſimul, atque licentiam concedes, amice dulciſſime, domum reuertar,*

*uertar, teq; ad ſermonem noſtrum proſequendum, perinde atque ad remedia pro tua laſſitudine comparanda, poſtera luce commodiùs expectabo.*

A. *Doleo, quòd propter urgentem cauſam, ſed, utcumque ſit, ſumma illa mecum libertate, qua uales, iam potiaris. Ego propterea in craſtino te conueniam, ut inceptum Epitaphiorum ſermonem ſequamur: quocirca quædam à me peragrando ſcriptis tradita monumenta, ut tibi, in quibus potero, ſatisfaciam meæ commendare memoriæ procurabo.*

B. *Vale.* *A.* *Tuq; bis iterum ualeas.*

FINIS SERMONIS PRIMI.

# EPITAPHIORVM
## SERMO SECVNDVS.

INTERLOCVTORES.

ALEXANDER VONICVS, ET BARTHOLOMAEVS BVRCHELATVS.

A. S*ALVE amicorum optime. Ego uſqueadeo ſum peragrationi aſſuetus, vt, cum ſequenti die, ex quo ſimul colloquebamur, melius haberem, optataq; Cœli ſerenitas nobis fuerit reſtituta, ab vrbe procul exierim, quod tibi tunc ſeruum meum credo denunciaſſe, vt prædia mea, domusq; ruſticanas uidendi auidus inuiſerem, quarum commodi ratione, ac uoluptate allectus, factum eſt, vt tot dies ſecum inſumpſerim: ſed cur te ita triſtem, ac deplorantem uideo?*

B. *O' infortunium crudele, mihiq; per uniuerſum uitæ*

*meæ*

meæ ſpatium triſti memoria reuoluendum: Ecce interim dum iſthæc mente ſatis tranquilla ante aliquot dies tecum colloquebar, affertur mihi nuncius Heliſabetham Amiconiam coniugem meam omni laudum genere ornatiſſimam ſymptomate hyſterico ſimul cum febre correptam eſſe, unde, ne te multis morer, poſt paucos dies nullo unquàm ex millibus remedijs à Medicorum corona propoſitis, ac debitè adminiſtratis auxilio ſibi præſtito, cum alioqui ſana eſſet, antequam decimum nonum ſalutaret annum, ſuum clauſit extremum diem, quinimo mihi propè diem, & lucem clauſit, ea ſiquidem orbatus coniuge, ſorore, ac ſocia, & oculorum lumine præ fletus interminati profluuio propemodum orbatus fui. ipſius pulchrum cadauer, quod dormientem iuuenem floridam ſimilabat, cuius faciei effigiem in pixide continuò depictam uolui, fuit in Burchelatorum Sarcophago tumulatum, qui ſanè eſt infra D. Mariæ Maioris cauædium conſtitutus, cuius titulum, de Epitaphijs iterum locuturi, nunc referamus.

D . M . A .

BVRCHELATORVM FAMILIAE
IN NOVISSIMAM DIEM
QVIETIS LOCVS.
COND. MCCCCXC. REST. MDLI.

*Locus inquam ille à Bartholomæo Burchelato abauo meo conditus fuit anno ab inſtaurata ſalute 1490.*

anno



anno autem 1551. Ioannesbaptiſta pater meus, ſublato diruto marmore, hoc aliud illius loco reſtituit, quo tempore eius genitor Bernardinus reponebatur: patris mei Elogium iam antea in Tyrocinijs audiuiſti, non ampliùs referam; modò eo loci altiùs in pariete Cariſſimæ uxoris nunquàm immemor tale in marmore porfido Epitaphium exculptum uolui.

TR . D . PR

HELISABETAE HONESTISS.
CAES. AMICONII, LEON. TABARELLAE
F. VNICAE
BARTH. BVRCHELATVS PHYS. MARITVS
CONIVGI B. M. INSPER. H. M. P
VNDE TALE? CVI TALE? QVANDO TALE?
AVE VN. PAREN. VIRI, GNATIQ. DELICIVM.
V. AN. XIIX. M. VI. OB. MDXIXC.
XVI. CAL. SEXT.

A. *Incredibili dolore doleo dolorem tuum; ſed ut prudentem in alijs te experior, ita in hoc te prudentia maxima uſurum cupio, neque eſt, quòd unius mulieris iactura tantopere commouearis, quæ ſi hoc tempore ſuam ultimam non obijſſet diem, paucis tamen poſt annis ei, quæ mortalis nata fuerat, fuerat itidem moriendum: mors & fugacem perſequitur virum, nec parcit imbellis iuuentæ poplitibus, timidoq; tergo, ut præcinebat poeta lyricus. Plura me de re huiuſmodi pudet dicere,*

I ne

ne magis prudentiæ tuæ diffidere uidear, quàm ſolari, maluerim certè ut hoc magnificum Epitaphium declarares.

B. Hoc elogium, tametſi à ſeipſo ſatis clarum eſt, ac perſpicuum nihilominus quædam ex animo ſuper eo in præſentia connotabo. primæ litteræ inferunt Trino Deo Propitio: id autem initium uolui, ut ſubterfugerem illorum characterum ambiguitatem, qui ferme omnibus Epitaphijs ſolent præponi, ſcilicet D. M. ſiue D. O. M. quorum primi quamuis nobis ſignificent Deo Maximo, ſæpe tamen, imò ſemper antiquis, Dijs manibus interpretantur, quorum talem non decet chriſtianos memoriam facere, exemplum ſit marmoris in oppido Montis Anniani in templo Sancti Fidentij, quod tale eſt.

D. M. MANIBVS.
M. EPPII. M. F. RVFI, QVI VIXIT AN. XII.
D. XX. OPIVS. O. LIBIBIAN. VARIVS COMITIA L. F. PARENTES.

A. Adhuc clariùs Romæ talis diſpoſitio reperitur, uidelicet.

DIS MANIBVS
SEXTI PERPENNAE FIRMI VIXI QVEMADMODVM VOLVI, QVARE MORTVVS SIM NESCIO.

Et ſi cupis aliud elegantius Romæ poſitum, audi.

DIS



DIS MANIB. SACRVM
T. CAMPILIO T. F. MANIPVLARI VIX. AN. XXXIX. D. XVI.
CAMPILIAE FESTAE SORORI SVAE VIX. ANN. XXII. MEN. III. D. VI.
CAMPILIO RVFO NEPOTI VIX. ANN. XII. M. VIII. D. IX.
ET ALBANAE MERVLAE VXORI B. DE SEM. ANN. XXXIII. M. VI. D. IIII.
ET CAMPILIO ALBANO INFANTI DVLCISS. ANN. II. M. V. D. IIII.
QVOS DII IRATI VNO DIE AETERNO SOMNO DEDERVNT.
T. CLAVDIVS HERMES DOLENS DE SVO FECIT.

B. Porrò ſecundi characteres ſignificant proculdubio Deo Optimo Maximo, neque hoc adſcribere mihi placuit, qui unum tantummodo eſſe Deum in Trinitate, & Trinum in perfecta unitate cum fide noſtra catholica ſentio: qui cum ſit ſummum bonum, &, ut aſſerebat Plato, ſui ipſius diffuſiuum, iure ab Ariſtotele primo cœli tex. 2. ita de Trinitate prolatum eſt. Tria omnia ſunt, & ipſum ter omniquaque, quemadmodum enim aiunt & Pythagorei, ipſum omne, & omnia tribus determinata ſunt, finis enim, & medium, & principium numerum habent eum, qui ipſius omnis eſt, hæc autem eum, qui trinitatis eſt. Quapropter à natura accipientes, tanquam leges illius, & ad ſacrificia Deorum hoc utimur numero. quare nulla mihi libuit compara-

I 2 tio

tio: ex hoc enim loquendi modo colligi poſſet eſſe aliquem Deum minùs bonum, & minùs magnum ac potentem, quod eſſentiæ Dei prorſus repugnat: quaſi antiquorum, diuerſarumq; gentium Deos in numerum reponamus, Deum autem noſtrum ſuper omnibus collocemus; at quid cum Trino Deo Aegyptiorum, Græcorumue Iſis, & Serapis, Romanorum Mars, Ianus, & alij? Palæſtinorum Aſtaroth, & Dagon, Moabitarum idolum Camos, Sydoniorum Aſtarthea, Accorinitarum Beelzebub, Ammonitarum Aleloth, Bel Babyloniorum, Getarum Zumoloſis, Aphicorum Aſclepius, & alij aliarum gentium? ut nunc apud Turcas Maumeth, & in Indijs ante appulſum Chriſtianorum inſtrumenta quædam fabrilia, iumenta, & monſtra, & uirile membrum, & ipſe Sathanas in ea horribiliſſima forma, quam quis unquàm potuiſſet imaginari? prætereo breuitatis gratia illos, qui planetas, elementa, Oreadas, Napæas, Naiadas, Driadas, Hamadriadas, Nympharum genus, Parcas, Gratias, Muſas, Fortunam, Famam, Famem, Inuidiam, Diſcordiam, Febrem, Fatuam, Mutam, Cuninam, & etiam Cloacinam; ueluti alij Caſtorem, Pollucem, Herculem, Hymenæum, Portumnum, Vertumnum, Priapum, Eolum, Eſculapium, Morphæum, Lemurim, Erictonium, Fabulinum, quin Pallorem, Pauorem, Stercutium: ita Lares, Genios, Penates, Naturam, Voluptatem: ſicuti Plutonem, Proſerpiuam, Minoem, Eacum



Eacum, Radamantum, & tot innumeros alios Deos fictitios, ſeu putatitios adorarunt, illisq; uti ſummis Dijs, ſummis numinibus percuſſis uictimis, ſpumantibus poculis libantes ſacrificarunt. Trinum igitur Deum propitium inuocando ſtatuo Heliſabetæ honeſtiſſimæ Cæſaris Amiconij Ciuis Taruiſini, viri integerrimi, ac Leonellæ Tabarellæ Nobilis Ciuis Tridentinæ filiæ ſolæ, atque unicæ hoc monumentum. Qui autem ſint, ac magis fuerint generoſi Milites, Duces, ac Capitanei Tabarellæ non referam in præſentia, tum breuitati conſulens, tum etiam ne conſanguineos laudibus efferens meos aliquam adulationis, ambitioniſuè notam incurram, tametſi quodcunque dicerem & re ipſa, & ſcriptorum teſtimonijs potuiſſet facile comprobari.

A. Antequàm ulterius proloquaris Amice, dixerim id minùs conueniens eſſe, alios nempe antiquorum, atque ethnicorum conferre deos, ac ſi cum ſummo Deo Trinitate ſanctiſſima conferantur: quandoquidem ut dicebat Michael Angelus Blondus in Idiomorphoſi, omnes illi, quos Priſci uocarunt Deos, fuerunt homines, ſed pro meritis ſingulorum quemque, ut ante, ita poſt occaſum coluerunt: exempli gratia Cretenſes Iouem, Samij Lunam, ſeu Iunonem, Romani Quirinum, Latii incolæ Faunum, Athenienſes Mineruam, Cyprii Venerem, & apud Lemnos colebatur Vulcanus, apud Naxos Liber pater, apud Delos Apollo, cæteriq; alii apud diuerſas nationes, & ab operibus egregiis diuinum nomen ſortiebantur

*tur, atque ab illis colebantur, quibus erant vtilitatis; verum enimuerò vſque ab initio reparationis noſtræ cunctis Chriſtianis receptum eſt Deum ipſum indiuidua Trinitate conſtantem, Deum vnicum eſſe, cæteros autem gentium errores, ac vanitates, illumq; eſſe Optimum Maximum, non quidem Deo altero magis bonum, nec adeo magnum, vt omnes alios Deos ſuperet, nam immenſum, & infinitum, ſed vt ſit omnium bonorum cumulus, perfectio, ac complementum, à quo omne datum optimum, ut dixit Apoſtolus, & qui ſit Maximus adeo, ut uerè dixerit ipſe cœlum, & terram Ego impleo: quod falsò de Ioue ferebant ueteres dicentes: Iouis omnia plena; nihilominus mihi non diſplicuit audire tot illos antiquorum circa diuinum cultum errores, ut exinde lucidè appareat ueritatem unicam eſſe, & ueluti Policleti lineam, à qua modo aliquo, quicumque ille fuerit, deflectentes in maximos, uarioſq; collabuntur errores: propterea mihi admodum placet Epitaphium in Maximiliani Cæſaris Auguſti Auguſtæ poſitum iſtiuſmodi.*

D E O
OPT. MAX.
TRINO. ET. VNI
SACRVM
NOBILISSIMO CAES. MAXIMILIANO.
P. F. INVICTO. AVG.
DIVI FRIDERICI AVSTRII FILIO
IMP. MAX. GERM. POT. PP.
LI-



LIBERALISSIMO. ET IN OMNI FORTVNA. MODESTISSIMO FORTISSIMOQVE PRINCIPI.
OPTIMO PIISSIMO CLEMENTISSIMO.
APVD. ANASANAM. VVELSAM.
PRAEMAGNO OMNIVM LVCTV.
INIQVISSIMIS FATIS EREPTO
ANNO A. CHRISTIANA. SALVTE
M. D. XVIIII.
PRIDIE EIDVS IAN.
VIXIT ANNOS LVIIII. MENS. IX.
DIES XIX.
IMPERAVIT ANN. XXXI. MENS. XI. DI. XXI.
NVLLI AVGG. ET CAESS. IVRIS. ET AEQVITATIS OBSERVANTIA. BELLI. ET PACIS. ARTE. SAPIENTIA. TEMPERANTIA. PLACABILITATE. INNOCENTIA. RELIGIONE. ALIAVE VLLA VIRTVTE INFERIOR.
PVBLICAE GERMANORVM SALVTIS CVRATORI. LIBERTATIS ADSERTORI. QVIETIS FVNDATORI.
MICHAEL HVMELBERGIVS RAVENSPVRGENSIS NVMINI MAIESTATIQVE EIVS DEVOTVS. RELIGIOSA MENTIS, ATQVE ANIMI PIETATE POSVIT.
BENE VALEAS QVISQVIS ADES. FAVES. LEGIS. ET MONIMENTVM OBSIGNAS.
MALE PEREAS. QVISQVIS ABES. MARCES. LIVES. ET MONIMENTVM DISSIGNAS.

Sed

*ſed expoſitionem tui Epitaphij proſequare.*

B. *Proſequor in Elogio mei mentionem faciens, & Coniugi B. M. INSPER. H. M. P. videlicet bene merenti inſperatò hoc monumentum poſuit.*

A. *Non diſſimilem iam comperi dictaturam in Ferentina Regione apud Hiſconum, in qua ſanè inſperati tumuli mentio habetur. ecce.*

D . M

AVRELIAE LVCIDIAE GRATAE DVLCISSIM. ADOLESC. INTEGERRIMAE VENVSTISSIMAEQ. M. AVREL. LVC. PIVS INFELICISSIMVS PATER INSPERATOS TVMVLOS DEDIT MIS. VLT. Q. DONA.

B. *Addidi præterea vnde tale? ut cum ſtupore admirarer unde factum ſit, ut ego prouectioris ætatis, ac, habita ratione temperatiſſimæ eius temperaturæ, delilioris complexionis, iuniori inculpatæq; ſanitatis adoleſcentulæ tale funebre officium præſtare debuerim. Cui tale? ſcilicet uxori incomparabili, ac unanimæ adeo, ut dimidiæ parti mei, & quaſi mihimetipſi tale ſoluam debitum lachrymoſum. Quando tale? dum nempe inceperam eius amorem eximium deguſtare, & amoris fructus dulciſſimos, filios ſcilicet, ſeu filium reportare; ut inquàm nondum mecum illa tertium annum potuerit ſuperſtes abſoluere. cætera clariora ſunt, quàm ut ulla indigeant expoſitione.*

*Non*



A. *Non abſimilem quippe dicendi normam memini me legiſſe in quodam antiquo Epitaphio priùs in agro Patauino, nunc in Germanico conſtituto, quod tametſi te inter antiquorum monumenta crediderim obſeruaſſe, nihilominus illud ad tuum Elogium ex antiquis marmoribus roborandum in præſentia mihi referre liceat.*

D . M

PORTITORI PLVTONI ET
PROSERPIN. HAVE IVLIA C. FIL.
MAXIMA FELIX DOM. TROMENT
SALON. ANIMVLA DVLCIS,
ANIMVLA SVAVIS, ANIMVLA
IN DEORVM NVMERVM RECEPTA.
VNDE TALE. QVANDO TALE. ET.
CVI TALEM. V. A. LIX. MEN. VI. D. XII.
HOR. NOC. IX. T. SCRIBONIVS
BARBVLA CONIVGI INCOMPARABILI
B . M . P . C .
ET INFRASCRIPTIS V. V. CARRIOMARIN.

B. *Et uidi illud, & placuit te ipſum iſtuc tranſtuliſſe. Verumenimuerò quod tunc in ipſius cariſſimæ uxoris meæ obitum ſtylo poetico hetruſca præſertim lingua conſcripſerim, & quæ amici quidam ingenioſi ad me conſolandum conflauerint, ecce nunc tibi connotatum commonſtro. Tu hæc domi leges, ne hac ſatis longa E-*

K *truſca*

*truſca oratione latini ſermones noſtri oppoſitionem aliquam, nec quidem minimam, patiantur: ubi ſanè meam nouem odarum coronam, ſeu cathenam dixeris, habes, habes & odas, ſonetti Etruſcis, Ioſephi de Policretis noſtri & coætanei, & conterranei, poetæ, & muſici lepidiſſimi, ut eius uulgata opera clarè teſtantur: habes & nobilis Arpi ad nos conſolandum Etruſca carmina: habes conſolatorium illud, illamq; coronam fragrantiſſimis floribus exornatam, perinde atque illud patheticum Madrigale ſic dictum, Liuij Ferri Patauini, ſeu magis Romani, omni uirtutum genere cumulati, qui quidem hoc anno typis expoſuit ſatis amplum uolumen, in Aloyſij Ancarani iuris ſcholarium ſtudij Patauini Rectoris ſplendidiſſimi laudes à ſublimioribus poetis & græcè, & latinè, & italicè, & hyſpanicè, & Gallicè decantantur: inter quos & ego, quamuis graculus inter Muſas, centum circiter carmina tum latina, tum hetruſca, tum hyberica decantaui; illa inſuper quæ ad me ſcripſit Bernardinus de Rubeis Ariminenſis elegans ſcholaris legum in Patauino Gymnaſio mihi peramicus, ut teſtatum reliqui in noſtrorum fine Tyrociniorum, quæ cum ſint partim latina, tum illa, tum reſponſionem à me illi continuò deſtinatam, nunc etiam recitare non aſpernabor, ut interea quid hetruſca lingua reſponderim alijs amicis, conticeam: nam hæc omnia à te ipſo in tradito opere lectitabis. audi igitur.*





*Rottho ha morte quel nodo, in cui ui ſtrinſe*
*A conſorte fedel caſto Himeneo,*
*Ma quello, onde Amor l'alme uoſtre auinſe*
*Gia rotto ella non ha, ne men poteo.*
*Del fatal ſuo liuor inuida tinſe*
*Ben repente il mortal, che ſol cadeo,*
*Ma cura alta del ciel preuide, e uinſe*
*Tanto furore, e pria padre ui feo.*
*E quanto al uiuer qui l'auara morte*
*De la moglie ſcemò, tanto à Voi il cielo*
*Largo, & al figlio pargoletto accrebbe.*
*L'alma hor beata con pietoſo Zelo*
*Impetra ad ambiduo beata ſorte,*
*Che l'eterni ambi. che qua giù poco hebbe.*

Si qui ſunt animis noſtris poſt funera ſenſus
Rerum, hic quas illis præſtat amica manus:
O quàm Burchelate pio, quàm gaudet honeſto
Munere, quod ſibi das, vxor amata tuo.
Hæc tui amoris erũt multos monumẽta per annos
Manſura, & fidei pignora grata tuæ.
Illius expoſcent nuptæ, innuptæq; puellę
Sortem, qua talem detur habere virum.
Qui tali dono ſtabilem teſtetur Amorem;
Cuiq; fides maneat candida poſt cineres.

*Ambobus Epigrammatibus ſimilia conformando tunc ſic reſpondi.*

*Poſcia che Amor del figliuolin mi auinſe:*
*Onde fia bando ad ogni penſier reo,*
*Mentre che morte arditamente ſtrinſe*
*Dardo fatal nel mio caſto Himeneo:*
*Poſcia che voi, à cui di Lauro cinſe*
*Delficò il crine, e ui fè nouo Orfeo,*
*A' conſolarmi Amor ratto ſoſpinſe,*
*Come tant'altri à ciò mandar poteo:*
*Prendo riſtoro in coſi acerba ſorte*
*Spinto del fanciulin dal puro Zelo,*
*Da voi, cui l'arte la Natura accrebbe.*
*Coſi tolga da voi perfido telo*
*Di Tartareo liuor, di auara Morte,*
*Chi regge l'uniuerſo, e accreſce, e accrebbe.*

Eſſe reor ſenſus animis vbicunque Priori
Exutis rerum carcere quæq; fiunt:
Sæpius inde uenit mihi coniux ante ſepulta
Me alloquitur, mecum gaudet amata, dolet.
Non hic oſſa quidem, nec ſpiritus: hæc loca namq;
Quæ Deus, atque homines conſtituère, tenent.
Concitat at ſpecies, generat phantaſmata, nobis
Quis intellectus cuncta retecta uidet;
Hinc, Ego dilectæ inferijs dum coniugis adſto,
Alloquor hanc, grates miq; beata refert.

A. *Laudo propoſitum & libens libellum accipio, ſed diſtichum id nunc tãtùm legã, quod in frõte uideo regiſtratũ.*

Occidit HELISABETH flêtes Pater, atq; Maritus
Candidulæ huic Animæ dant pia uota pij.



B. *Verumenimuerò tranſtulit nos forſitan nimis longè ab Elogijs Franciſcanis orationis, occaſionisq; continuitas: ſiquidem Philippi lignaminei facinus, illud Marci de Crema & facinus & Epitaphium concitauit: Sepulchrorum porrò, & ſanguinis contiguitas, vt de Amiconijs quædam referrem, occaſio autem improuiſa, & locus ipſe, & propoſita materia poſtularunt, ut de vxore mea hæc omnia ſubijcerem, ac permiſcerem: igitur reuocandus eſt ſtylus ad tumulum Lignamineorum, ubi loco Epitaphij iſtud Epigramma deſuper in pariete cum gentilitio inſigni mihi legendum occurrit: quod utinam quemadmodum vulgare, atque vulgatum eſt, ita eſſet animis hominum inſitum, ut quandoque tandem operum ac animorum reformatio uideretur.*

*O' viator contempla, e ferma il paſſo,*
*Ch'io fui ſimile à te, e tu qual io;*
*Preſto ſerai rinchiuſo in duro ſaſſo,*
*Non gioua eſſer ſuperbo, altero, ò pio,*
*Giouane, forte, di gran ſtato, ò baſſo,*
*Quiui è la fin d'ogni mortal deſio,*
*Non ſperar dunque in coſa uana, e frale,*
*Eſſendo un'ombra, e com'io fui mortale.*

*Illud autem ita latinis verbis exprimerem.*

Si ſte

Siſte gradum, pauca hæc rogo contemplare viator,
Ipſe tui ſimilis iam fui, eriſq; mei:
Nam rigido citiùs clauderis marmore, quicquam
Non iuuat eſſe grauem, non iuuat eſſe pium,
Non iuuenem, fortem, depreſſum, ſiue tremendũ,
Mortalis ſpei finis hic omnis adeſt:
Ne ſperes igitur re in uana, deciduaque,
Cum ſis vmbra, neci factus, vt ipſe fui.

A. *Miror quòd prætereas cum ſilentio Franciſcum Lignamineum Taruiſinum ciuem Clariſſimum, qui per plures annos Patauij è ſuggeſtu publicè medicinam omnium ſtupore, ſummaq; ſcholarium frequentia prælegebat: cuius tale memini me hic Taruiſij ad D. Nicolai ædem aureum exciſum Epitaphium iam legiſſe.*

FRANCISCO A' LIGNAMINE PHYSICO
INTRA CORPVS VT EXTRA VIVENTI
HABITATIO NON AETERNA
FRANCISCINA VXORE, ET IOSEPHO FILIO PROCVR.

H. M. H. S.

B. *Illud ſanè dignum memoria, ac conſideratione Epitaphium huc transferre minimè cogitabam non ignarus hunc celebrem phyſicum alterius originis extitiſſe, alteraq; gentilitia inſignia obtinuiſſe, quantumuis eiuſdem*

*cogno-*



*cognominis ac ciuilitatis cum Philippo iam recitato; ſed eſt inquàm doctum docto viro Epitaphium conſecratum, & ſepulturæ, & reſurrectionis, & morum integritatis ſumma elegantia, breuitateq; non obſcura memoriam faciens. Verumenimuerò hic iurè mihi uenit commemoranda antiqua, ac generoſa familia illorum de Tempeſtà, tametſi vlterius, vt aliàs innui, penès oſtium, quà è templo in clauſtrum tenditur, ſanè inter id oſtium & monumentum Caminenſium, alterum eorum cum honoratis Elogijs ſit in pariete marmoreum ſepulchrum expoſitum: alterum uerò infra clauſtrum humi ſupra terram locatum: ratio autem ea eſt, quod hic Philipphus Lignamineus, de quo ſupra, in hoc ſecundo ſepulchro voluit tumulari nulla habita ratione proprij ſacelli, & propriæ ſepulturæ: cur autem iſtud fecerit imaginor duas cauſas, quarum altera eſt animus ingenuus huius viri, qui in ſepulchro virorum illuſtrium claudi ſibi fore glorioſum putauit: non quidem vt ille ruſticus Arquadæ, de quo Scardeonius, qui Eccleſiæ legauerat centum aureos dummodo in Petrarcæ arcam poſt eius obitum ſepeliretur, cui cum baſilicæ Arquadæ Rector noluerit aſſentiri, ne ſummi poetæ laudes quadamtenus ruſtici cadaueris admiſtione minuerentur, opiparum id legatum bonus ille ruſticus reuocauit: potior autem ratio forſan fuit, quòd poſtrema omnium ex hac familia Tempeſta, uocata Clara, fuit coniux Aloyſii à Lignamine, Philippi filij, cuius Claræ bonorum reſi-*

*duum*

dum unà cum tumulo in Lignamineorum familiam deriuauit, vt infra apertiùs demonſtrabo.

A. Poſteaquàm continuitate orationis ventum eſt ad monumentum illorum de Tempeſta, qui, vt optimè noris, de Aduocatis appellabantur, antequàm ad Epitaphia, ad generoſos homines referendos accedas, rogo huius agnominis rationem, ac originem mihi recitare in præſentia ne graueris.

B. Iam audias. Dum res Epiſcopatus Taruiſini, ſicuti & aliarum vrbium Epiſcopo inſignitarum, circiter annum à partu virginis. 1200. in maximo poſitæ eſſent diſcrimine, Nobiles, ac generoſi milites ex familia de Tempeſta (ita grandinem, quæ referta in domeſticis eorum inſignibus cernitur, lingua uernacula dictitamus) cum Taruiſij inter optimates Principem locum tenerent, uſque adeo vt ab ijs vel Marchiones, & Duces ornamenta Equeſtria non erubeſcerent impetrare: ſummam pariter, qua pollebant, auctoritatem exercentes, atque virtutem ſe Epiſcopatui patronos, defenſores, atque Aduocatos conſtituerunt, ita peroptante Epiſcopo, magna prouentuum utilitate illis adiudicata; ex qua occaſione non ampliùs ferè de Tempeſta, ſed Aduocati per antonomaſiam uocitabantur, Auogarij autem vulgò & ij, & qui in tale officium nobiliſſimum ſubintrarunt, ab omnibus nominantur. Ex hac antiqua, & generoſa ſtirpe Caſtrorum Anoalis, & Bruſaporci Domina Guecellus primus fuit in ſimili, quod uocant, inueſtitura: habe-



tur mentio hic in ſacrario Patrum Guidonis generoſi militis Aduocati Eccleſiæ Taruiſinæ, qui claruit circa annum 1300. legitur de Guercio Tempeſta Viro ſtrenuo qui poſtremum obiens diem ſibi hos hæredes inſtituit coenobitas.

A. Nunc recordor legiſſe in monumentis Taruiſinis Guecellonem Tempeſtam anno ſaluificæ incarnationis. 1179. Patauij Præturam adminiſtraſſe, ueluti anno 1314. Articum Aduocatum extitiſſe Ciuitatis Feltri Rectorem, Sicuti & in ijſdem monumentis regiſtratum comperi anno 1329. Guecellonem alterum ex hac familia à Cane Scaligero tunc uniuerſæ fermè Venetiæ imperitante fuiſſe Taruiſij Capitaneum declaratum cum ſalario librarum millium menſtruarum, cui tunc data erat optio ſibi eligendi Prætorem Taruiſij quem maluerit, dummodò eſſet ipſius Canis iuriſdictioni ſubiectus.

B. Itidem magnificè legitur de Vinciguerra, de Aquè, de Ziliolo, quorum omnium & belli, & pacis tempore glorioſa facinora recenſere longum eſſet, vt tempus non ſufficeret ad aliorum memorias proſequendas: Porrò Nicolaus Tempeſta claruit circa annum 1360. hic autem fuit Virorum ex hac familia poſtremus omnium, & inter magnifica pietatis opera magnum mehercle in hos Franciſcanos monachos contulit beneficium, apud quos ei cum parentibus libuit quieuiſſe: quandoquidem his quotidiana iniuncta miſſa pro eius anima legauit

*liberè centum & quinquaginta terræ iugera. Hos generoſos milites fuiſſe viros illuſtres, ſummæq; auctoritatis, nedum ex noſtris annalibus ſit conſpicuum, uerùm etiam ex externis, Patauinis præcipuè: extat pariter teſtimonium Scardeonius libro 3. claſſe 13. hos clariſſimos viros, quos Auogarios nominat cum Tiſone Campiſamperio Duce exercitus Reipub. Patauinæ pro ciuitate noſtra tutanda bella geſſiſſe; ſed iam duo illorum, unum ſub altero, appoſita in tabellis marmoreis Epitaphia referamus.*

TARVISIVM defle decus hoc antro ſopitur
Morumq; decorata tuum pullulata uenuſtas,
Hinc rutilat orbis, animum tenuere beatum.
Sydera, qui tegitur hoc ſaxo lumine Polus
Lux aſſurgit pia fama cernentibus almum.
ADVOCATORVM NICOLAVM ſtipite clarũ,
Hic gratus, docilis, iuuenis decorus aſpectu,
Moribus, & genere nobilem gerebat effectum.
Mille trecentoſque Phoebus euoluerat annos
Sexdecies, quiniſq; iunctis uiceſimo ſexto
Marci dum obitus hic ſolita luſtra peregit.

*Alterum autem Elogium crucibus, & inſignibus gentilitijs exornatũ characteribus deſcriptũ aureis ita ſonat,*

ORATE FRATRES DEVOTE PRO ANIMA GENEROSAE DOMINAE DOMINAE CATHERINAE RELICTAE Q. EGREGII MILITIS

TIS



TIS DOMINI GVECELLONIS TEMPESTA Q. DOMINI TARVISII, IN CAPELLA PRAESENTI SEPVLTAE. PRO CVIVS ANIMA FRATRES EX SINGVLARIBVS BENEFICIIS RECEPTIS PERPETVO' OBLIGANTVR.

A. *Nunquid prius Elogium ſit arte metrica diſpoſitum certè ſum dubius: Ego potius dixerim eſſe modum loquendi proſaicum verbis metricis concinnatum, ſic etenim bene ſe dixiſſe putabant: qualem dictandi ſeriem memini me Neapoli in duobus, quæ nunc referam, Epitaphijs compeiſſe: alterum ad D. Dominici, nempe.*

GRAVINAE Ducem Monſtrat tibi cãdide lector
Serica tumba præſens Vrſina de gente Ferrandũ.
Graueis inter turmas tenuit hic nõ ignobile põdus
Tenit cum exucta Lacheſis duriſſima ſibi.

*Alterum uerò ad D. Auguſtini tale.*

HAC iacet in tumba militari dignitate præpollẽs
Vir Bartholomæus de Bonifacijs ortus
Genitor qui fuit militis Nicolai præclari,
Quem ſors Extrema Rapuit ſub anno tonantis,
Mille trecenteno octauoq; Quadrageno,
Nunc tenet polus præcante gratia ſummi.

 Ego

B. Ego pariter, ſi hos eſſe uerſus quis dixerit, quales ſint, niſi Heroici mendoſiſſimi, fateri me ignorare non erubeſcam: modò de hac illuſtri Matre, quæ in ſecundo Elogio celebratur, ſi ea inquàm eſt; vnum oppidò, meritòq; memorandum tradam, eius cadauer ſcilicet adhuc poſt annos circiter 230. ab eius obitu adeo integrum eſſe à uerticè ad imos talos, ac ſi ante non multos dies fuiſſet ibi reconditum, quod cum à R.Fratribus audiſſem, proprijs oculis libenter de hac re uolui me reddere certiorem: imò aliud ex ipſis percepi, quòd ſuperioribus ſæculis in medio templi hoc cadauer ſtatis temporibus reponi ſolitum fuerat, ad quod uniuerſa ciuitas, tamquàm ad beatæ mulieris venerandas reliquias confluebat: quæ inſtitutio per Reuerendiſſ. Epiſcopum noſtrum de Rubeis tunc temporis fuit ſublata.

A. Nunquid ſit hoc corpus integrum, eo quod in nocte annua Natiuitatis Chriſti Domini hæc Generoſa mulier naſceretur, quod vulgus creditat, & fæmellæ omnes quadam pia, nec aſpernanda quidem ratione commotæ: an potiùs ob ſpeciale donum pro eius ſanctæ mulieris meritis, quod pluribus beatis hominibus tributum fuiſſe credimus, alijs penſitandum, diſcutiendumq; relinquemus.

B. Ego vtique quid in hac re ſentire debeam nondum factus ſum animi compos: ſentirem nihilominus cum Doctore meo Albertino Bottono Medicinæ praxim in Patauina Academia prælegente, libro, quem typis



expoſuit, cui titulus de vita conſeruanda cap. 52. vbi de cauſis uitæ, & mortis, eiusq; longitudinis, ac breuitatis ſermonem facit, dicente corpora mortua, quæ ſuapte natura citiſſimè marceſcere ſolent artificiali quodam balſamo per multos annos integra ab omni corruptione ſeruari: quod in pluribus Regibus, ac Principibus factum fuiſſe conſtat, vnde & Mumiæ inuentæ ſunt, quod quidem in hac nobiliſſima muliere contigiſſe facile poteſt, ueluti in una, apud quam plurimæ diuitiæ remanebant. Et certè putrefactionis corporum origo, & cauſa eſt concluſum humidum exuberans orbatum proprio calido ab ambiente corruptum, quod ſi abſumatur abſque eo, quòd textura corporis corrumpatur, ea deinde per annos longiſſimos talis remanet: ſicuti in ſeminibus ſegetum inſolatis, atque repoſitis; ita in lignis ad opus expoſitis, alijsq; naturæ operibus clarè conſtat; iſtud itaque operari balſamum, ſeu miſturam illam, qua utebantur antiqui, præſertim Mauri, & Arabes circa Mumias, quæ conſtabat, vt refert Mattheolus, ex aloe, myrrha, & croco, nempè quòd dum abſumitur humidum, corpus ſiccum redditur, illudque in ſua remanet per annos innumeros ſymmetria: tametſi, & quas retuliſti rationes non modicam contineant ueritatem, & propterea crediderim quendam Venetijs infra B. Dominæ ab horto ita proprium ſepulchrum ſignaſſe.

IOANNES NATALIS BONO ORTVS IN NOCTE NATIVITATIS CHRISTI SIBI HAEREDIBVSQ. SVIS P.

*ſubnectere alterum liceat poſtremum omnium, ex hac familia nobiliſſima Claram illam præclaram fœminam, de qua multùm antea dixeram, ædes iſtaſmet proprias, quas Ego nunc incolo, tuq; mecum circumſpicis, tunc temporis uſque ad eius vltimum vitæ terminum habitaſſe: cur autem, dum domum hanc in pluribus partibus renouarem, in muro vno ſub tribus ſanè cæmenti coopertures inuenta fuerint inſignia Communitatis Patauinæ, neque coniectura probabili conſequi ualeo. Porrò ædes, quas nunc habitant Lignaminei in terra noua ad D. Thomæ burgum dictum, iuxta mœnia, illæ ſunt, quas Domini Aduogarij de Tempeſta ſuo æuo habitabant, vbi adhuc in marmoreo puteo exciſa conſtant eorum inſignia gentilitia, ibiq; certè curia cum diſpluuiatis, teſtudinatis, & veſtibulis honorificis, pariterq; delicijs affluens nobile, amplumq; viridarium illorum magnificentiam præſeferentia vſque ad hæc tempora conſpiciuntur: has ſanè ædes, cum poſtremò in iam dictam Claram, eiusq; ſororem Luchinam Monacham tertij ordinis D. Franciſci religioſiſſimam perueniſſent, anno à conciliata Diuinitate 1527. Iacobo iam dicti Philippi Lignaminei filio condonarunt, fuerat etenim hæc matrona coniux Aloyſij huius Iacobi fratris germani,* 



*cuius rei veritatem viſum à me donationis liberum inſtrumentum, præter continuam Lignamineorum poſſeſſionem, teſtatur.*

A. *Ecquid duo illa domui Tempeſtæ memoriam præſeferentia Epitaphia, quæ in D. Catherinæ Templo conſpiciuntur, nunc prætermittes? ſcias & Monachos illos Seruitas grande bonorum incrementum ab hac pia familia recepiſſe. verùm tibi id laboris lubens ſurripiam; horum prius in rubro marmore exciſum eſt, vbi Monachæ effigies apparet delineata. ipſum haud ſatis integrè legere potui, ſed, qualecumque ſit, audias.*

TENET HIC LAPIS FRIGIDA ANTONIAE OSSA, HAEC STIRPE NATA TARVISII AVOCATI VAMPI TEMPESTA. TOTVM DISPERSIT. QVIA QVANTVM IN MVNDO . . LESIT SVBIECIT SE CVNCTIS DIEBVS ANNORVM SVORVM . . HAEC DECESSIT A MVNDO APRILIS DIE LABENTE XXIIII. MILLENIS QVATERCENTENIS BIS DVO CVRRENTE.

B. *Verba hæc proculdubio non ſatis commodè ſententiam declarant; cum nihilominus facilè ſit eam aſſequi coniectura: hunc ſanè Vampum Tempeſtam comperi fuiſſe Dominum Caſtri Criſpiniacæ, ſed dicas alterum.*

BLAN-

A. BLANCAE VSNAGO VENETAE MATERTERAE, OPE PAVLAE BARBARO ET SOLADAMOR TEMPESTA NEPTES, ET SIBI, ET HAEREDIBVS POSVERVNT. ANNO SALVTIS MCCCCLXXXXIII. XX. AVGVSTI.

*Verumenimuerò reclamarent iuremeritò Nobiles noſtri Aduocati, ſeu, vt nos dicimus, Auogarij, quorum Auctores ſupradicto Nicolao Tempeſtæ in locuplete officio ſubintrarunt, niſi & aliquam de illis generoſam memoriam, ſicut ipſa res poſtulat, recenſeres.*

B. *Neque illud erat à mente mea alienum, quod ex huius orationis progreſſu comperies facilè. Quocirca primò non eſt ignorandum Aduogarios, qui etiam nunc in copioſo numero conſpiciuntur, Azzonios, ſiue Actionios dictos eſſe, vt inferiùs propoſito celebri Epitaphio, præter quod alia innumera extant teſtimonia, demonſtrabo; modò primus huius familiæ, qui hac iuriſdictione, atque vtilitate potitus fuit, vt habetur ex Chronicis, fuit Rizzolinus de Azzonibus ciuis Taruiſinus. hic cum anno ab orbe redempto. 1379. in expeditione contra Genuenſes Venetorum ſtipendia magnificè mereretur, cruris debilitationem inſignem viriliter decertando perpeſſus, meruit ab Epiſcopo Taruiſino ad Principis Veneti Andrææ Contareni petitionem in ipſius Cathedralis Eccleſiæ Aduocatum aſciſci, atque iiſdemmet prouentibus, ac vacationibus quibus gaudebant illi de Tempeſta, cum legitimis eius poſteris compotiri, quamuis*



*nothi aliqui ex familia Tempeſta non leuibus propoſitis meritis tale munus ſumma aſſiduitate competerent. Hos Nobiles Azzonios fuiſſe huius magnificæ Vrbis Antiquos Ciues, & Chronica, & antiqua eorum monumenta, & arcæ cum vexillis bellicis ad D. Leonardi antiquiſſimum templum, & vt fertur, Cathedrale primum, ad D. Margaritæ, ad D. Nicolai, ad D. Magdalenæ ædes clarè teſtantur: quibus in locis nihilominus præter gentilitia inſignia, nullum elogium reperitur. Vnum attamen luculentiſſimum, & meritiſſimum in Eccleſia Cathedrali penes ſacellum Reuerendiſs. Epiſcopi de Baono, cum Effigie aenea naturali ſimillima adiuncto nobili, ac ſumptuoſo ornamento huiuſmodi exciſum conſtat.*

IVLIO ACTIONO ADVOC. CAN. TARVIS. IN PHILOSOPH. STVDIIS OMNIVMQ. LITTERARVM ET GRAECAE ET LATINAE LINGVAE INTER NOSTRAE AETATIS HOMINES CLAR. VIRO.
QVI CVM PRAESTANTISSIMAE CVIVSQ. LAVDIS FASTIGIO CVMVLATVS TOTIVS TARVISINAE DIOCOESIS ADMINISTRATIONEM GERERET, OMNIBVSQ. ADIVMENTO ESSE STVDERET, AD EVM, PLERIQ. OMNES DOCTI ET INDOCTI HOMINES, QVASI COMMVNE OMNIVM PERFVGIVM, AC PRAESIDIVM CONFLVEBANT.

M MAR-

MARCVSANT. ADVOC. HAERES, EA QVA DECVIT ERGA TALEM PATREM PIETATE MONVM. HOC FACIENDVM CVRAVIT.

VIXIT ANN. LXIX. MENS. I. DIES XV. OBIIT. MDLXVIII. IIII. ID. DECEMB.

A. *Huius nobis apprimè noti viri excelſa merita ex ipſomet Epitaphio prout lucidè apparent, ita pariter & maiora fuiſse iam credat quiſpiam, nam virum nouimus omnibus admirandum: ſicuti & magnificum Altenerium eius fratrem Latina, & Græca lingua doctiſſimum: cuius claræ virtutes impulerunt Franciſcum Patricium in arte Oratoria tractanda virum clariſſimum, Dialogum eius Decimum, vbi de Amplitudine, ſiue vbertate artis Rhetoricæ ſermonem facit, Aduogarij nomine nuncupare, atque hunc Altenerium ſibi interroganti profundiſſimis rationibus reſpondentem inferre.*

B. *Alterum poſtremò comperi Aduocatorum Epitaphium in rubeo marmore affabrè rotundato ad D. Mariæ Ieſu templi medium circinatum, quod tale eſt.*

IOANNES ET DIONYSIVS PIENTISSIMI FILII IAM BARISANIS HOC M. SIBI ET POSTERIS EX ADVOCATIS DEDICARVNT.
M D L V I.

*Iſti*



*Iſti nihilominus magnifici fratres, ac ditiſſimi nullos alios poſteros præter fœminas, quæ in alias conceſſerunt familias, reliquère: dicant autem monumentum eorum poſteris, qui ſanè per paternam, maternamq; lineam ab Aduocatis, & Bariſanis deſcendant, quod, vt audio, ratione quorumdam feudorum poſitum eſt.*

A. *Vt quid ſilentio obuoluis antiquos, ac Illuſtres, viros ex Azzoniorum familia veluti Azzonem à quo anno Chriſti 1016. Henricus Secundus fuit hic Taruiſij apparatu Regio proprijs ædibus feliciter hoſpitatus? Altenerium, qui anno 1318. Poteſtas Paduæ pro eius excelſis meritis fuit ibi marmorea ſtatua decoratus? ita Riccium Epiſcopum, ita Iacobum, qui anno 1383. pro Franciſco Carrarienſi Patauij præfuit, annoq; ſubſequenti Florentiæ, ita Altenerium Michaele Steno Principe Venetorum Prætorem Cathari, & tot alios Illuſtres viros? Ecquid non memoraris Reuerendiſſimum Epiſcopum Ciuitatis Nouæ Alexandrum Aduogarium virum omni virtutum genere venerandum, qui Anno ſuperiori dum Venetijs moraretur, vita adhuc iunior deſtitutus, Taruiſium deuectus, pompa mirabili, ac Epiſcopalibus exequijs, vt æquum erat, ad D. Margheritæ baſilicam inter ipſius Auctorum oſſa fuit tumulatus?*

B. *Si Aduogariorum Catalogum nunc ſermone, ſeu ſcriptura perſequi vellem, nimis in longum, atque extra præcipuum inſtitutum ſanè diuagaretur oratio: ſat erit mihi vnicum tanti ſtemmatis virum inter viuos ſpectabi-*

 *lem*

lem in præſentia nominare, magnificum ſcilicet, ac Illuſtrem Equitem Florauantum, vti lucidiſſimum ſplendorem, vti firmam columnam, vti ciuem primarium, & vrbis, ac Patriæ calamitatum tempore patrem, ac defenſorem, Prouiſoremq; perpetuum, Virum inquam apprimè ſplendidum, cunctisq; propemodum virtutibus cumulatum, cui meritò non pauci, qui litteris operam nauant, ſuos labores, ac primos partus, quin, & libros integros non ſemel offerunt, dicant, ac repræſentant; huius magnificũ filiũ vnicũ Rambaldum virũ ingenioſum mihi ad primogeniti perinde, ac vnigeniti mei ſacrum baptiſma promptiſſimum Compatrem volui, cum, & eius Illuſtris genitor Patrinus mihi, & antea Patri meo, ſit, ac fuiſset; à quibus generoſis viris vſque adeo diligor, vt continuè me & ſtudijs, & honeribus inuicem vlteriùs promouere contendant.

A. Pace tua de Illuſtri hoc Equite clariùs dictum uelim: illum inquam eius perſpicaci ſolertia, atque mirabili prouidentia, Deo annuente à quo omne datum optimum, anno nobis ſalutari 1576. peſtis ſæuitiem, quæ Venetijs infeliciter Pataui, Vincentiæ, atque alibi graſſabatur, depopulabatur, ab hac Ciuitate noſtra feliciter arcuiſſe, eamq; fermè ſolum omni exterorum dolo, ſeu arrogantia ſuperata, eoſque longiùs profligaſſe, vt ne vnus quidem in vrbe toto tempore illius influxus ex hoc immani contagio moreretur, cum nihilominus in pagis fermè omnibus agri noſtri, & vel in ſuburbanis exteræ gentes lue peſſima



ſima infectæ conciderent; aut laborarent.

B. Nunquam ſatis ob hanc prouinciam hic glorioſus Eques eſt laudandus, propterea ego breuibus id tetigeram non ignarus me, vt æquum eſſet, haudquaquàm illius admirabile officium condignis verbis fore proſecuturum, quo ſanè temporis curriculo, dum per rura infecti homines morerentur, non ſemel ego, quin pluries, officio incumbens meo ex præſidentium diſpoſitione ad illos inſpiciendos, alios inuiſendos remedia præſtiturus me contuli, propter quod onus, præter ciuium beneuolentiam, non modicum in lucro emolumentum ſum conſecutus: certè ex illorum potiùs arbitrio, ac munificentia, ne vllum abſque præmio laborem prætereant, quàm vt ego tale quicquam peterem, aut optarem, nunquam etenim in oneribus pro patria ſubeundis ſatietate, aut laſſitudine detinebor. Sed volumus nè omnia vnico hoc matutino ſermone concludere? ſi lubet in illud cubiculum concedamus, vbi, niſi fallor, parata ſunt omnia ad prandium neceſſaria, vt poſtmodum pranſi hilariori ſpiritu noſtram Epitaphiorum materiam proſequamur.

A. Ego vtique præ Amoris, arctæq; neceſſitudinis iucunditate, noſtrarumq; Sermocinationum dulcedine nunc tecum ad menſam ſedere non recuſarem, niſi ad forum modò pro vnico expediendo negocio properarem. Propterea contentus fui breuiorem hunc noſtrum fuiſſe ſermonem, tametſi ipſius magnæ partis materiam fuiſſe defunctam coniugem tuam magis indolui: ſed à

pran-

*prandio ſi mauis ſtatim adero, vt longiorem ex propoſito habeamus orationem.*

B. *Te expectabo.*

A. *Vale.*

## FINIS SERMONIS SECVNDI.



# EPITAPHIORVM SERMO TERTIVS.

### INTERLOCVTORES.

### ALEXANDER VONICVS, ET BARTHOLOMAEVS BVRCHELATVS.

A. P*RANSVS non auidè, ſed quantum interpellet inani ventre diem durare domeſticus ocior, ſicuti etiam dicebat Flaccus, ad te ſermocinandi auidus nunc reuertor: niſi aliquo dulcioris exercitij genere tu modo diſtinearis, nunc tempus eſſet per Franciſcana delubra Epitaphia lectitantes, ſeu deſcribentes nos ſpatiari: ſiquidem hac hora hæc baſilica, veluti cæteræ omnes, à nemine penitus frequentatur.*

B. *Fidem hanc aliquo ſuauioris ſtudij genere mentem meam hilaraturus aſſumpſeram, dum etenim ſolus ma-*

*neo,*

*neo, continuò ad amiſſæ coniugis contemplationem arripior, propterea opportunè aduenis, iam Templum per hanc Auſtralem portam commodiùs ingrediamur.*

A. *Antequam ad alia monumenta vlteriùs accedamus, iſtud Elogium, quod, dum aqua benedicta me aſpergerem, altiùs in muro huius arcus poſitum, breui tabella marmorea vix omnes litteras continente obſeruaui, quantumuis peſſimè inculcata ſcriptura, legere experiamur.*

ANNO DOMINI MCCCVII. INDICT. QVARTA, DIE VII. EXEVNT. DECEMBR. COMPLETVM FVIT HOC ALTARE IN DEI GLORIAM ET HONOREM B. MARIAE VIRGINIS, ET MATRIS, SANCTIQ. IOANNIS EVANGELISTAE. ROGAT SCRIBA MINIMVS DE CAĪO DOMVS PATRIARCHAE, QVOD PRIVS QVAM MVTETVR OPVS, HIC LEVETVR ALTIVS IN AVGMENTO LOCVS. QVODQ. SIBI LVCEAT STATVS ATQ. MOTVS.

B. *Huius tabellæ quod referam mehercle non habeo, niſi animaduerterim verbum illud Exeunt: ad diem ſeptimam non ad menſem referri, vt penſitanti patet, quaſi dixerit hora veſpertina, perinde ac ſcribentis bonum conijcio deſiderium ſcilicet, quòd priuſquam hoc opus mutetur, locus hic leuetur altiùs in augmento, vt inquam magnificetur, quod ſanè à Magnifico Equite Rouerio, vt dum ipſius Elogium referemus, his tempori-*

*bus*



*bus factum eſt: ſui ad extremum hic ſcriba memor ſempiternam ſibi lucem implorat, qua nil uiuis, atque defunctis precioſius expeti poſſe certum eſt: hanc autem perpetuitatem comprehendimus ex poſtremis verbis, ſcilicet ſtatus, atque motus, cum nedum ipſe homo, ſed & cuncta creata, facta, vel genita aut ſtent, aut neceſſario moueantur:*

A. *Ego aliter iſtud Elogium interpretarer, nempe illud die VII. exeunt. Decemb. intelligi debere die 25. Decembris, à qua ad menſis exitum ſeptem dies incluſiuè cōputantur: quod autem me ad hoc credendum impellit, præter Tabellionum varia inſtrumenta, illud eſt, quod circa initia quinti tractatus Statutorum noſtrorū Municipalium reperitur; vbi & inſtantis, & exeuntis menſis poſitum eſt clarum exemplum; Ego propterea plura illorum nunc verba referam, nedum propter hanc cauſam, verùm etiam propter felicem memoriam noſtræ priſtinæ libertatis, vt meritò potuiſſent tunc canere Taruiſini, Cantemus Domino glorioſè, Equum & aſcenſorem proiecit in mare. audi igitur. Factum eſt, quòd Eccelinus in bello cecidit contra Cremonenſes ſecus flumen Adæ, & perijt memoria eius cum ſonitu: Albericus verò de Ciuitate Taruiſii diffugiens tranſtulit ſe cum vxore, & omnibus filijs, & filiabus in Caſtrum ſancti Zenonis: Ciues autem Taruiſii ex diuerſis mundi partibus concurrentes intrauerunt gratanter felicem Taruiſij Ciuitatem in vigilijs S. Franciſci, quæ celebrantur quarto inſtante Octo-*

 *bre*

bre 1260. indictione tertia. Ingreſſu verò temporis circa Paſcha obſederunt Albericum prædictum, & ſuos, in Oppido ſancti Zenonis prædicto circa menſes quatuor, demum relicto Caſtro in vigilijs Beati Bartholomæi die lunæ nono exeunte Auguſto tranſtulit ſe ad Turrim, & tandem in quarto proximè ſequenti, ſcilicet die Iouis peruenit ad manus, & in fortiam Nobilis viri Domini Marci Badoarij tunc Taruiſii Poteſtatis, qui cum filijs ſuis ſex maſculis à Taruiſinis, Paduanis, & Vicentinis, qui erant in campo per fruſta decollati, & inciſi fuerunt: vxor autem, & duæ eius filiæ ſimiliter ſunt ibi cõbuſtæ à populis ſupradictis, ſtatimq; ipſe, & vnus ex filijs trucidati in plauſtris ad ciuitatē Taruiſij deducti fuère, & in platea Carrubij eorum corpora fuerunt combuſta. hæc eo loci; vbi inquàm clarè ſcimus vigilias ſancti Bartholomæi cadere die 23. Auguſti, quam nonam exeuntis menſis appellarunt, quia nouem numerantur dies ad eius exitum. porrò de altero animaduerſo dicerem in ſcriptura eſſe lypotomi errorem, dum luceat pro liceat repoſuerit, quaſi rogaret ſcriba, vt illi qui hunc locum, ſiue in hoc loco opus altiùs voluerit eleuare, liceat, per fratres puta, ad eius libitum altare magnificentiùs conſtituere, vel poſtremò quòd ſibi liceat ſtatus, ideſt conditio, ſeu facultas largiùs erogandi, & motus, nempe, vt à nemine tam honeſtum opus impediatur: porrò niſi nimis è longinquo, & pauſilla proportio peteretur, tibi duo proponerem monumenta, quæ Patauii in

D.



D. Auguſtini Baſilica ſunt conſtituta: ambo quidem cum ſuperiori quaſi contemporanea, quorum alterum cum eodem in dictatura aliquale ſymbolum tenet, alterum autem cum ciuitatis noſtræ ſplendore clariùs emicans illius ornamentum, atque excellentiam manifeſtat.

B. Tametſi nulla proportio, nulla analogia cum prædictis aſſignaretur, Ecquid prohibet te, quodcunque malueris, recitare, pro ea qua mecum libertate, ac auctoritate potiris? minùs autem id erit uetitum, quò magis illud ciuitatis noſtræ gloriam ſit oſtenſurum.

A. Audi igitur.

ANNO DOMINI MCCLXXV. INDICTIONE III. MENSIS AVGVSTI. HOC OPVS FIERI CAEPIT PER COMMVNE PADVAE AD LAVDEM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, ET B. MARIAE MATRIS EIVSDEM. ET BEATORVM CONFESSORVM AVGVSTINI, DOMINICI, IOANNIS EVANGELISTAE, APOSTOLORVM PETRI, ET PAVLI, ET STEPHANI, ET PETRI MARTYRIS, ET ALIORVM, QVORVM ALTARIA SVNT HIC.

Alterum autem magnificum monumentum tale eſt.

BEATVS PAPA BENEDICTVS ORDINIS PRAEDICATORVM TARVISINVS. HIC EX MAGISTRO ASSVMPTVS IN CARDINA-

 LEM

LEM HOSTIENSEM, HANC ECCLESIAM BEATI AVGVSTINI CVM MVLTIS EPISCOPIS CONSECRAVIT.

MCCCIII. MENSIS MAII. DOMINICA ANTE ASCENSIONEM DOMINI.

B. *Poſteaquam de ciue noſtro omnibus ſæculis prædicando ita imparatò memoriam ſuſcitaſti, vt tanti viri qualicũque verborum genere mentio renouetur, de eo, quæ à noſtris ciuibus regiſtrata aliquando comperi; ſic habeto. Nicolaum Boccaſij Tabellionis Taruiſini filium adoleſcentem integerrimum, & miro virtutum fulgore perſpicuum, anno ætatis ſuæ decimoſeptimo religionem Fratrũ Prædicatorum ingreſſum fuiſſe, in qua per omnes virtutis gradus ſumma cum laude ſe exercens, per omnes pariter gradus, quos eius religio conferre potuit, paruo temporis interſtitio ſummo cum honore pertranſijt, ac demum ad ſummum apicem, ad Generalatum aſcendit: ad hæc omnia anno à parta incolumitate vno minùs milleſimo tercenteſimo à Bonifacio Octauo, cui poſtea in Papam ſuffectus fuit, Cardinalis Hoſtienſis eſt declaratus: anno autem 1303. 22. Octobris die creatus fuit Summus Pontifex, & BENEDICTVS huius nominis Vndecimus nuncupatus, qua de re Platina, Marianus Scotus, Volaterranus, Petrarca, Boccatius, alijq; huius generis Auctores multi ſcripſerunt: ſicuti & noſtris temporibus Frater Leander de Albertis eiuſdem religionis cum Pontifice in eius Italia, vbi de Taruiſio loquitur, ſe*

*in*



*in monumentis Dominicanis aſtruit comperijſſe regiſtratum: Porrò neque ad tantum ſummæ dignitatis faſtigium tam citò hic vir Sanctiſſimus prouectus fuit, quòd ijs, qui contra Bonifacium conſpirauerant, excommunicatis, abſoluto à cenſura Philippo Francorum Rege, & in eius gratiam Cardinalibus Columnenſibus reacceptis, animum ad pacem, & ad Italorum Principum unionem conuertit. Verumtamen inuida mors illuſtrium operum ſublimium hominum pernicies, ac exterminium ſeſe Pontifici Beatiſſimo præceps oppoſuit: quandoquidem, dum eſſet Peruſiæ ſubito morbo oppreſſus, non ſine veneni ſuſpicione in ficubus, quibus maximè delectabatur, abſconditi, obdormiuit in domino. Sanctus hic, ac Venerandus Pater, antequam fieret Pontifex excupiens & patriam propriam exornare, & Fratribus ſuis Dominicanis grandius, ac ſpecioſius cum Templo cœnobium fabricare, vigintimillia Florenorum conſtituit, quos ſibi parauerat in legationibus varijs, præſertim Pannoniæ, eoſq; in telonio Venetijs conſignauit, ex quibus præcipuè templum conſtrueretur magnificum, ac operoſum ſub titulo Diui Nicolai, quo nomine antequam fieret Pontifex vocabatur: quod admirandum opus etiam ante ipſius obitum inceptũ fuit: quinimo illuſtrioris reddendæ patriæ tanto fuerat ingenuo deſiderio inflammatus, vt bene priùs examinato Vrbis Taruiſinæ exemplari, ſtatuerat animo, quod fertur, Diui Petri ſedem iſtucuſque reducere, vrbemq; latioribus iactis fundamentis, & mœnijs magnificentius*

*exor-*

exornare: cuius ſimilis deſiderij patratum exemplum patuit in eius ſucceſſore Clemente V. qui Cathedram Pontificiam, quo ſpiritu ſuadente neſcio, proh dolor, tranſtulit Auinionim.

A. Recitat Frater Leander, ſicuti & in noſtris monumentis habemus, unum de tanto viro admiratione dignũ non leui ſcilicet quòd dum Peruſiæ moraretur, eius mater pretioſis induta veſtibus, ut tãti Domini Genitricem decebat, ad eius conſpectum de filij feliciſſimo ſtatu gratulatura, deducta fuit: quam cum vidiſſet, conſtanter negabat hanc eſſe matrem ſuam, quam pauperem viduam ſe reliquiſſe, non matronam ſumptuoſiſſimam aſſerebat: propterea reuerſi illam propriis prioribus veſtibus induerunt, quam cum cerneret Summus Pontifex ſtatim accurrens illam amplexus fuit, ac oſculatus aſſeuerans, hæc utique eſt mater mea dulciſſima.

B. Gratiæ à Deo conceſſæ poſt huius ſancti noſtri ciuis obitum pluribus, qui morbis incurabilibus fuerant grauiter infirmati, atque etiam oppreſſis à prauo Dæmone clariſſimum eius ſanctæ vitæ indicium, indubitatumq; teſtimonium extitère.

A. Incredibili animi mei ſolatio te hæc omnia conferentem audiui, modò quod reliquum eſt de tanto viro deſuper huius capacioris Templi D. Nicolao erecti ianua Aquilonari memoriam cum gentilitio inſigni ex albo, & nigro per longitudinem colorato, tribusq; illis Coronis aureis inſignitò poſitam, iſtuc iure meritò referamus, ut ex marmoribus noſtra, dum poſſumus, quæ referimus monumenta corroboremus.



DIVI NICOLAI TEMPLVM A' DD
BENEDICTO T. ORD. PRAED. PP. XI.
CONSTRVCTVM.
OBIIT MENS. IX. DIE VI. SVI. P.
MCCCIIII. PERVS. R.

In quo Elogio poſtrema verba inferunt Peruſiæ requieſcit: Ego autem, dum Peruſiæ commorarer ad eius ordinis Monachos pedem conferens huius Sanctiſſimi Patris Encomium penès arcam ex finiſſimo marmore operoſiùs fabricatam in marmorea tabula regiſtratum perlegi, atque auidiùs exemplaui. audi.

O' quàm laudandus, quàm dulciter eſt venerandus
Inclytus iſte pater, pius extitit ordine Frater
Sancti Dominici Chriſti vigilantis amici.
Lector honoratus Prior extitit ipſe vocatus,
Effectus talis fit Fratrum Dux Generalis,
Sic homo doctrinæ poſt hæc fit Cardo Sabinæ,
Hoſtia Velletrum titulum ſibi dant duo lætum,
Præfuit Vngariæ Legatus, gemma ſophiæ
Fit Pater ipſe patrum, caput orbis, gloria fratrum
Et meritò dictus nomine VNDECIMVS BENEDICTVS,
TARVISII natus, hic primo Pontificatus
Anno deceſsit, ſibi rectè ſubdita rexit
In nono menſe mortis proſternitur enſe.

Hunc

Hunc hominem tantum reddunt miracula ſanctū
Innumeris ſignis dans grata iuuamina dignis.
Lector habe menti, currebant mille trecenti;
Quattuor appoſitis cum tranſijt hic homo mitis;
Menſe die ſexta Iulij ſunt talia geſta.

B. *Sed & in ea Baſilica, ſiue dicas Sacellum, vel Sacellam, vel etiam Capellam, quibus nominibus vſus fuit Bartholomæus Caſſancus in Cathalogo gloriæ mundi, ſub excelſo Campanili conſtructa altiùs ad teſtudinatum conſpicitur huius Sanctiſſimi Patris vetus effigies, tunc ſanè quando huiuſmodi Turris conſtruebatur depicta vti tanti operis Auctori, vbi iſtæ litteræ ſunt exaratæ.*

DOMINVS BENEDICTVS TRIVI.
ORD. PRAED. PP. VNDEC.

*Verumenimuerò tabellæ huius Franciſcanæ à me ſuperiùs recitatæ memor, cum longiùs ſanè digreſſi fuerimus dulcedine orationis, ad eundem locum reuocans cum ſtylo pedem, ex altera parte huius arcus video quoddam dictamen ſatis vulgare, quod ita latinè ſonat.* HVNC CRVCIFIXVM *fecit fieri Lupus Iudæus hoſpes Iudæorum Taruiſij vigore ſententiæ contra ipſum latæ per D. Inquiſitorem Fratrem Antonium de Rhodigio ordinis Minorum, decretorum Doctorem, & Magiſtrum in Theologia, quoniam ſæpius in deſpectum* CHRISTI, *& Fidei Chriſtianæ paſſus eſt quendam Chriſtianum aliàs Iudæum comedere pluries carnem die Veneris, & Sabbati cum alijs Iudæis ad menſam in domo ſua. 1453. 13. Septembris.*



A. *Quid nobis rei eſt in templo, quin & in Ciuitate cum Hebræis? quandoquidem hanc Vrbem noſtram haudquaquam habitant iſtæ gentes.*

B. *Scio equidem Iudæos Vrbem noſtram non habitare, nec in ea fœnerari, & propterea grandes habemus gratias Senatui Veneto, qui Duce Inclyto Leonardo Lauretano anno* MDVIIII. *nos ab hiſce fœneratoribus, fideiq́; noſtræ contemptoribus, ita auis noſtris, ac proauis peroptantibus; liberarunt, vt clarè conſtat ex illo marmore ampliſſimo penes Grammatophylatium prætorium in foro publico conſtituto, litteris etiam aureis decorato; ſed iſtud ibi poſitum eſt, vt Sanctæ Inquiſitionis Officium ritè à R. Patre illo Rhodigino adminiſtratum fuiſſe comprehendatur: perinde atque nunc per longos annos exequitur R. Mag. Theophylus Burgundio pariter Rhodiginus percelebris Minorita. Porrò iſtinc ſecus priorem tabellam demittens oculos tale circinatum in marmore ſatis elegans Epitaphium inciſum lego.*

QVEM CONSP. TVMVLVM VIAT.
BERNAR. NICODEMI FIL. VIV.
POSTERIS PR. SVIS.
ANNO DOMINI MDLVI.
TERTIO KAL. SEPT.

O Aſt

A. *Aſt cuius Bernardi, cuiuſuè Nicodemi, ſeu quorum poſterùm monumentum hoc ſtatuemus, cum nullum cognomen, nullam familiam memoretur?*

B. *Ne mireris, quoniam omnes hic nominati diebus noſtris fuère cogniti, ſcito hunc eſſe tumulum noſtrorum ciuium Varagiorum, ſanè etiam meorum affinium. Ex hac ſtirpe Patruus Auunculi mei Franciſcus Varagius nullo modo à me debet cum ſilentio præteriri, cum pariter eius ſcripta, ſi in lucem proferrentur, ſibi, & deſcendentibus maximam eſſent gloriam paritura. Hic fuit vir doctiſſimus, non ſolùm Poeta ſuauis, & lepidus, & facilis, ſi quis alius, verùm etiam cætera doctus, ſapienſq; ſuo tempore iudicatus: diebus proximis ad meas deriuauit manus, neſcio quo fato, indubiè periturum volumen carminum huius celebris viri manu conſcriptum propria tribus diſtinctum libris, Heroicis, Elegis, ac Lyricis carminibus elegantiſſimum, ſummo ſtudio, ſummaq; diligentia compilatum: Eſt præterea liber carminum cõmendatitiorum, ſunt inſuper Nataliæ in honorem Melchioris Natalis Senatoris Veneti tunc temporis Taruiſij Rectoris Clariſſimi, adſunt Eglogæ multæ: alia præterea plura compoſuit opera lepidiſſima, quæ à ſuperſtitibus abnepotibus incognita, proh impietas deploranda, in quotidianum verſa ſeruitium perperàm fuère diſtracta.*

A. *Ego ex relatione, & ex ſcriptis virũ optimè noui, qui & claudus erat: & coætaneos eius cõplures, celeberrimũ Beatianum,*

*tianum,*



*tianum, Fuſcum, Perſicinum, Neruiſiam, Maurum, Calciam, Scalã, & ex Bononijs aliquot, qui illo tẽpore in pangendis poematibus excellebant, atque viciſſim alteri alteris dulcia, argutaq; Epigrãmata ſæpe ſæpius deſtinabant. Sed antequam huius dulciloqui poetæ mentio deſeratur, cum nõ me lateat, ad extremam huius templi partem eſſe Nobilium Paſiorum ſacellum, vbi eorum operoſum ſepulchrum eſt conſtitutum, ſuper quo nihil aliud præter magnifica inſignia gentilitia exciſum conſtat: in quo Sarcophago ipſius Varagi tempore Iulia Nobilis virguncula ex hac familia magno parentum mœrore condita fuit; non iniuria referam Elegiacum Epigramma, quod ipſe Franciſcus ad illud Pſalmi Dauitici 84. alludens de huius virginis tranſitu conſolatorio carmine parentibus deſtinauit.*

Deſeruit poſtquam terras placidiſſima virgo
  Iſta, olim è cælis miſſa volente Deo.
Iuppiter inſanos homines miſeratus ab alto
  Tranquillam pacem cum pietate dedit.
Pax Dea conſpiciens orientia bella, petiuit
  Aſtra, modò hic pietas ſola benigna manet;
Ni foret illa, quidem iamdudum machina mundi
  Eſſet cum claris diruta Syderibus,
Oſcula ſed poſtquàm libarint grata ſorores
  Prædictæ à magno Vaticinante Dauit,
Inde reuertentur lætæ huc, & quiſque uidebit
  Iuſtitiam & pacem cum pietate coli.

Et volet omnipotens orbem paſtore ſub uno
Eſſe, igitur lachrymis parcite flere Deam.

B. *Rectè ſanè, vt alia omnia; porrò ad radices huius ſepulchri, vt vides, adiacet ara Sancti Bonauenturæ de Balneo Regio Minoritæ Theologi inquam excellentiſſimi, vt ex eius optimis ſcriptis, & ex huiuſmodi ſcriptura, quæ hoc diſticho ad eius pedes poſita manet.*

Hic ſacer Antiſtes, mitra, pileoq; rubenti
Theologus, Vates, ſanctorum eſt functus honore.

*Tanti autem patris Seraphici admiranda opera, vitam inculpatam, immaculatos mores audire licet ex ore doctiſſimorum concionantium, præſertim patrum Minoritarum, quare non eſt, vt ad ipſius laudes explicandas rudem hunc meum calamum defatigem. Aſt quoniam de Paſijs factus eſt ſermo, vnum iuremeritò non reticendum cenſeo, illos ſcilicet hanc D. Bonauenturæ capellam ære proprio conſtruxiſſe, & ſpontaneam monaſterio eleemoſynam in ſingulis annis erogandam conſtituiſſe.*

A. *Duo, vt optimè noris, ſunt eius ſtemmatis fratres germani, quorum alter Hieronymus eſt Sacerdos optimus, ac pluribus nominibus circumſpectus, Alter vero, Antonius nempe, præter quod ad multa ciuitatis onera expedienda aptiſſimus ſemper fuit iudicatus, in hyſpanica lingua eouſque defatigatus extitit, ac conſummatus, vt faciliùs fermè Iberico idiomate legat, ſcribatuè, quàm materno.*

*Huius*



B. *Huius idiomatis merito illum mihi amicum grandem paraui, (tanta eſt inter habentes ſymbolum vis illius) pro quo ſtudioſo viro omne arduum opus, dum valeam, ſubire non recuſabo.*

A. *Expetitur, ſummoq; iure expectatur ab eo compoſitum hyſpanæ linguæ Dictionarium abſolutiſſimum, quod ſanè ſi in lucem proferet, proculdubio eouſque augebitur linguæ uſus, vt Antiquorum illuſtrium Equitum Amadis, Splandiani, Liſuartis, Palmerini, & aliorum opera non amplius verſa in Etruſco idiomate nobis ſint lectitanda, ſed potius materno illo ſermone hyſpano, quo fuère compoſita repetenda.*

A. *Iamdudum circunſpicio admirabundus grandem circa hoc delubrum in ſanctæ Crucis reuerentiam fabricatum mutationem, quandoquidem ante annos, nec quidem multos, aderant ad altare nobilium quorumdam inſignia, ueluti ad ſepulturam Epitaphium celebre, ac honoratum, nunc verò dolia quædam, fabriliaq; inſtrumenta depicta video, ſicuti ad marmoreum tumulum abſonam, vulgaremq; dictaturam.*

B. *Proh dolor, delubrum hoc, hoc ſepulchrum aliàs propter eorum Auctores maximè coboneſtata, nunc autem, ne dicam deboneſtata, ſed ab eorum magnificentia penitus proturbata conſpiciuntur; quandoquidem fuerant hæc illuſtriū noſtrorum Ciuiū Siniſfortium, ſeu de Siniſforto, vt adhuc, præter ſeniorum memoriam, ſi ſuperiùs aſpicies, clarè dignoſces ex gentilitijs eorum inſignijs, quæ ad*

*arcus,*

*arcus, ad muros intus, & extra baſilicam depicta recognoſcuntur: in quorum illuſtrium virorum decus egregium, altiùs ad antemurale appoſita fuère arma bellica, vmbones, inſignia, atque ornamenta, quæ, vt cernis, adhuc perdurant.*

A. *Memini me in quibuſdam noſtris annalibus manu ſcriptis memoriam celebrem comperiſſe Guecellonis, atque Anſediſij de Sinisforto circiter annũ à Chriſti natali 1320. pariter circa annum. 1390. Tolberti, & Schenellæ Sinisfortium opera illuſtria.*

B. *Plura ad hæc, pluresq; ex his generoſis viris lectitando comperies, præſertim Gabrielem de Sinisforto, qui anno 1216. vnà cum Eccelino de Romano, Guecello de Camino, & Comite Schenella de Collalto conciuibus primarijs initam pacem inter Venetos, & Taruiſinos interuentu Vualferij Patriarchæ Aquileienſis ad hoc à Summo Pontifice delegati, propriæ ciuitatis commodo conſulentes, unanimes comprobarunt. Porrò nunc, vti conſpicis, quibuſdam mercatoribus hoc altare, hoc monumentum conceſſum fuit, qui audaces ſanè, ne dicam impios, antiquum, latinum, elegansq; Epitaphium corradentes, vulgaria illa verba, pinguiaq; ſcripſerunt, vt minùs hic eſſe recenſenda putem, ne ingenuus lector nobiſcum ſtomacharetur. Cæterùm ſepulchrorum vicinia, & incredibilis quidam ardor me arripiunt ad dicendum de Bononiorum docta familia, legamus itaque priùs hoc marmoris Epitaphium.*

OCT-



OCTAVIO BONON. NOT. HIER. POETAE. F.
FILII OBSEQVENTISS.
EX ILLIVS TESTAM. P.
VIXIT ANN. LXX.
OBIIT. CAL. DEC. MDLXXII.

A. *Hic Octauius, qui me, ſicut ego illum, ſummo amore proſequebatur, erat Tabellio maioris gradus, perinde atque nunc eſt Hieronymus eius filius, meus & amicus, & priorum ſtudiorum contemporaneus.*

B. *Hic inquam cum per longum temporis ſpacium in hac D. Franciſci vicinia moraretur, diuiniſq; in hoc delubro officijs ſollicitiùs ſenior intereſſet, incredibili huius venerandæ Eccleſiæ deſiderio accenſus, relicto, nec tamen neglecto, paterno ſarcophago, qui in Cathedrali templo ſpectabilis extat compoſitus, teſtamento iſtic ſe fore inhumandum cauit. Sed de eius patre, de quo ſupra in Elogio, Poeta clariſſimo, iam dicamus. Floruit Hieronymus Bononius ciuis Taruiſinus circa annum ſalutis 1500. vir omni virtutum genere ornatiſſimus, cuius multa, atque ea admiranda opera, quantum ſe in litteris exhibuerit, fidem præſtant.*

A. *Ego ſanè, amice dulciſſime, ſum valde dubius, num magis ſit ciuibus gratulandum, an dolendum potiùs, tales ſcilicet vrbem noſtram ſuſcepiſſe viros, quorum poſtmodum ſpectandæ lucubrationes cymerijs tenebris ſint penitus reuolutæ.*

B. *Gratulandum vtique mirum in modum nobis eſt inſignes*

gnes conciues noſtros continuè ſuo ſæculo & litteris, & armis, & pacis, & belli tempore innumeris, ac egregijs facinoribus, Virtutibus, honoribus claruiſſe, excelluiſſe, ſed quàm dolendum itidem nobis ſit, nullus dubitet, quòd plurimùm, eorummet illuſtrium virorum geſta vnà ſecum infrà terræ viſcera planè fuiſſe contumulata, verùm de alijs, ſi ſors feret, ſuo loco, quod ad noſtras peruenerit aures referemus, nunc de hoc ciue noſtro Bononio pauca mehercle pro meritis tanti viri in medium conferamus. Quantum in bonis litteris valuerit, quantum in antiquitatibus perquirendis, ac explicandis fuerit ſolers, diligens, ac ſubtilis, legat quilibet, dum ad eius manus deuenerit, manuſcriptum huius viri librum Antiquarij Taruiſani, quem Iulio filio nuncupauit, ex quo facilè diiudicabit hunc celebrem virum ad antiquorum lapidum notas congeſtandas, dilucidandasq́; & plures vrbes, ac Oppida peragraſſe, & plurimos diuerſorum Auctorum libros peruigilem fuiſſe rimatum. Fuit ille dum Romæ degeret, familiaris, & à ſecretis Scriba Patris Ampliſſimi Laurentij Patriarchæ Antiocheni Sixto IIII. Pontifice Maximo.

A. Non ſum neſcius extare penes illius nepotes, plures vno carminum libros nimis repòſitos, in quibus ſe artis poetriæ demonſtrat fuiſſe ſuo ſæculo Coryphæum.

B. Ego ſanè dicerem, nedum ſuo ſæculo, ſed & per multa alia paucos pares compertos eſſe; namque eius operà ſoluta oratione compoſita, eleganti, atque vltra mediocritatem numero concinnata, ſicuti & illa multa, quæ metrico quocumque dicendi genere ab ipſo fuère conflata, talem de illo opinionem confirmant.



A. Teſtimonium meritorum Bononij noſtri patet maniſeſtiſſimum in pago Arcadio ad ſeptimum ab vrbe lapidem, ſuper eius prædij ingreſſu ex marmore elaboratum: vbi ipſum vſqueadeò à viris Clariſſimis, ſicuti à conciuibus dilectum, atque in delicijs habitum fuiſſe conſtat, vt amplo ruris illius communis terræ circuitu donari meruerit, quo ſibi villam ſirueret ſatis commodam, ac opiparam, quas notas elegantes, vt alia omnia, multamq́; antiquitatem redolentes, ante aliquot dies illac præteriens, dum ad Carthuſianos Mònachos iter facerem, memoriæ meæ protinus commendaui, audias:

EX AVCTORITATE BERNARDI THEVPOLI. V. C. PRAETORIS BENEFICI, VICINORVM OPT. Q. CONCIVIVM INTERVENIENTE CONSENSV, HIERONYMO BONONIO AD VILLAM AEDIFICANDAM L D D.
ANN. MCCCCLXXXIX. V. NON. MAIAS.

In qua quidem ſcriptura, ne poſtremæ litteræ alicui dubium facerent ſcire liceat eas inferre locum datum decreto, vel dono datum, vel dedicatum, vt notat Probus, & alij, vtq́; magis fit conſpicuum in quadrato marmore vndequaque inſcripto Romæ poſito apud ſcholam Græ-


cam,

gnes conciues noſtros continuè ſuo ſæculo & litteris, & armis, & pacis, & belli tempore innumeris, ac egregijs facinoribus, Virtutibus, honoribus claruiſſe, excelluiſſe, ſed quàm dolendum itidem nobis ſit, nullus dubitet, quòd plurimùm, eorummet illuſtrium virorum geſta vnà ſecum infrà terræ viſcera planè fuiſſe contumulata, verùm de alijs, ſi ſors feret, ſuo loco, quod ad noſtras peruenerit aures referemus, nunc de hoc ciue noſtro Bononio pauca mehercle pro meritis tanti viri in medium conferamus. Quantum in bonis litteris valuerit, quantum in antiquitatibus perquirendis, ac explicandis fuerit ſolers, diligens, ac ſubtilis, legat quilibet, dum ad eius manus deuenerit, manuſcriptum huius viri librum Antiquarij Taruiſani, quem Iulio filio nuncupauit, ex quo facilè diiudicabit hunc celebrem virum ad antiquorum lapidum notas congeſtandas, dilucidandasq́;, & plures vrbes, ac Oppida peragraſſe, & plurimos diuerſorum Auctorum libros peruigilem fuiſſe rimatum. Fuit ille dum Romæ degeret, familiaris, & à ſecretis Scriba Patris Ampliſſimi Laurentij Patriarchæ Antiocheni Sixto IIII. Pontifice Maximo.

A. Non ſum neſcius extare penes illius nepotes, plures vno carminum libros nimis repòſitos, in quibus ſe artis poetriæ demonſtrat fuiſſe ſuo ſæculo Coryphæum.

B. Ego ſanè dicerem, nedum ſuo ſæculo, ſed & per multa alia paucos pares compertos eſſe; namque eius operà ſoluta oratione compoſita, eleganti, atque vltra me-





diocretatem numero concinnata, ſicuti & illa multa, quæ metrico quocumque dicendi genere ab ipſo fuère conflata, talem de illo opinionem confirmant.

A. Teſtimonium meritorum Bononij noſtri patet maniſeſtiſſimum in pago Arcadio ad ſeptimum ab vrbe lapidem, ſuper eius prædij ingreſſu ex marmore elaboratum: vbi ipſum vſqueadeo à viris Clariſſimis, ſicuti à conciuibus dilectum, atque in delicijs habitum fuiſſe conſtat, vt amplo ruris illius communis terræ circuitu donari meruerit, quo ſibi villam ſtrueret ſatis commodam, ac opiparam, quas notas elegantes, vt alia omnia, multamq́; antiquitatem redolentes, ante aliquot dies illac præteriens, dum ad Carthuſianos Mònachos iter facerem, memoriæ meæ protinus commendaui, audias:

EX AVCTORITATE BERNARDI THEVPO-
LI. V. C. PRAETORIS BENEFICI, VICI-
NORVM OPT. Q. CONCIVIVM INTERVE-
NIENTE CONSENSV, HIERONYMO BO-
NONIO AD VILLAM AEDIFICANDAM
L D D.
ANN. MCCCCLXXXIX. V. NON. MAIAS.

In qua quidem ſcriptura, ne poſtremæ litteræ alicui dubium facerent ſcire liceat eas inferre locum datum decreto, vel dono datum, vel dedicatum, vt notat Probus, & alij, vtq́; magis ſit conſpicuum in quadrato marmore vndequaque inſcripto Romæ poſito apud ſcholam Græ-

cam, vbi erat Templum Herculis: ſic etenim eſt inciſum in prima parte.

HERCVLI INVICTO T. FLAVIVS, IVLIANVS QVADRATINVS V. C. PR. VRB. XVVIR. S. F. DONVM DEDI.

*In ſecunda parte.*

DEO HERCVLI M. NVM. IN IO. CEIONIO ANNIO ALBINO PRAE. VRB. AN. V. C. DEDICANTE.

*In tertia parte.*

DEO HERCVLI IVL. FESTVS V. C. PR. VRB. AN. D. D.

*In vltima parte.*

HERCVLI INVICTO POMPEIVS APPIVS FAVSTINVS V. C. PRAE. VRB. N. D. D. FELICITER.

B. *Quadrat vtique huic lapidi iſte tuus quadratus lapis. Porrò huius celebris viri, eiusq; ſtyli dulcedine allectos fuiſſe crediderim ad iſtuc habitandum præter alios multos, duos illos Poetas celeberrimos Io. Aurelium Augurellum Ariminenſem, & Auguſtinum Beatianum Venetũ, ambos poſtea donatos ciuilitate hac Taruiſina; quorum*



*rum prior, præter Iambicos libros, & ſermonum, & carminum ipſi Horatio inuidioſos Aldi typis iam publicatos, hic Taruiſij compilauit opus illud Heroicum cunctis ſæculis ſuperuicturum, quod Leoni Pontifici Maximo nuncupauit, ſcilicet Criſopeiam, cuius originale ipſius Augurelli manu conſcriptum, ac poſtillatum adhuc apud me remanet: alter verò aliquantò recentior, cum circiter eius aduentum Bononius moreretur, ſicuti Venetiarum, vnde oriundus, ita Taruiſij noſtri vbi vitam, mortemq; tranſegit, ſplendor nunquam interiturus; cuius celeberrimi viri opera, præter ea, quæ in Caroli V. Imperatoris inuictiſſimi gratiam, inq; illuſtriſſimi Petri Bembi obitum titulo lachrymarum expoſuit, præter eius Veronam cum operibus Sannazarij publicatam innumera ſanè, & latino, & etruſco idiomate tam pedeſtri, quàm ſoluta oratione fœcunda, ſicuti & græco, & hebræo, & chaldæo, & iberico adhuc tamquam numinis cuiuſdam arcana apud Sacripantem Raynaldum eius nepotem mihi arcto nexu amicitiæ coniunctiſſimum ſummo ſtupore conſpiciuntur: vt prætercam modò nobiliores, doctioresq; in vrbe viros, quibus hi triplices Vates præſtantiſſimi Epigrammata varia non ſemel, imò ſæpius deſtinarunt; adeo vt iuremeritò inter admirabiles eius tempeſtatis viros numeret Areoſtus Beatianum vltimo Heroicorum cantu dicens.*

*Io veggo il Fracaſtorio, il Beuazzano,*
*Trifon Cabriel, e il Taſſo più lontano.*

 Cre-

A. Crediderim illud ſæculum nobis aureum, cum tot doctiſſimos homines Taruiſium noſtrum protulerit, & vt Antonium de Fantis conciuem noſtrum Ariſtotelis, & Auerrois in Patauino gymnaſio interpretem præclariſſimum duntaxat referam, omnes alios prætermittam, vſque ipſum Marcellum Philoxenũ Dantis ac Petrarcæ æmulum, vt teſtatur impreſſus liber ante annos 70. cui titulus, Syluæ Marcelli Philoxeni Taruiſini Poetæ Clariſſimi, quas adeo Ioannesbaptiſta Lotarellus, & Hieronymus Barbadicus proprijs Epiſtolis celebrarunt: pariterq; Ambroſium Spiera, qui ſenior Theologus, ac Concionator celeberrimus extitit, vt impreſſa opera clarè monſtrant. Sed verba deſunt, & animus collabitur dum de ſplendore Antonij de Fantis Philoſophi, Medici, Aſtrologi, ac Magi etiam planè ſummi dicere cogito: ſatis ſit in præſenti memoriam facere libri illius ante 80. annos editi, cuius titulus eſt huiuſmodi. Clariſſimi liberalium artium, & Medicinæ Doctoris Antonij de Fantis Taruiſini ſpeculum rationale ad Generoſum Virtutum omnium cultorem ſolertiſſimum Franciſcum Maurocenum patricium Venetum: in quo quidem libro ſatis amplo cum ex eius lectione, cum ex clariſſimorum mundi ſyderum teſtimonio Antonio Tubeta, Hieronymo Monopolitano, Mauritio Hybernico, Gabriele Zerbo, Petroq; Pomponatio ſcientiarum publicis interpretibus, quàm fuerit hic vir ſubtiliſſimus, ac doctiſsimus, ſit conſpicuum, cæterùm ad Bononium nunc reuertor.

Vnum



Vnum de tanto viro doleo, & admiror, illum ſanè ſicuti anno 1479. cum Taruiſij prælum ad libros imprimendos exerceretur, dum typis, vt coniicio ipſe præeſſet, & C. Plinii ſecundi Naturalis hiſtoria imprimeretur, illiq; præpoſuerit ſatis longam Epiſtolam, cui talis eſt titulus, Hieronymi Bononii Taruiſani ad Ioannem Bombenum amicorum optimum pro C. Plinio ſecundo Apologia: perinde atque in imprimendo libro Euſebii de Præparatione Euangelica indicem fecit, illumq; carminibus, ac eleganti Epiſtola Alberto Vonico Doctori, maioriq; noſtro clariſſimo deſtinata publicè decorauit, doleo inquam ipſum propria ſua opera typis pariter diuulganda minimè expoſuiſſe, cum tamen & illas epiſtolas, & ſubinde carmen ex illuſtrium C. Plinij operum argumentis prælo ſubmittere conceſſiſſet.

B. Et ego tecum ſanè doleo, & admiror cum præſertim videam illum ſatis intentum fuiſſe atque auidum in cælandis marmoribus, ea nomine, ac elogijs proprijs exornando: quocirca, vt præteream, quæ ex lapide inciſa proprijs ædibus conſpiciuntur, quæque in paterno ſarcophago ſub dio ad D. Petri poſito præſignarat, vbi, & alibi etiam, litteræ non amplius legi poſſunt, duo referre ſtudeo Epitaphia, in quibus amici, patris, fratriſq; officium à ſe præſtitum honorificè manifeſtat; alterum igitur eſt ad D. Nicolai tale.

Heu quanto defuncta patris mœrore BONONI
Quanto BLADINEI LIVIA cara viri.

Hoc

Hoc illata iaces florenti ætate ſepulchro
Nonum annum qua vix addideras decimo.
Saucius afflicto genitor te pectore, te vir
Non intermiſſis queſtibus vſque gemunt.
Tu ſic quando ſemel ſtatuerunt fata quieſce,
Dum te viſuri lætus vterque petant.

FRANCISCVS BLADINEVS FLORAVANTI.
F. MARITVS.

M D VI.

*Alterum ad D. Michaelis, quod eſt huiuſmodi.*

Hic VERONAEI proles non falſa GVARINI
NICOLEOS lingua notus vtraque iacet.
Quē dum GONZAGAE præclara negotia tractat.
PRINCIPIS hac ardens ſuſtulit vrbe lues.
CAROLVS hunc fleuit Dux, & TARVISIA pubes,
Et cum Pierio turba diſerta Choro.
Oſſa ſub hoc poſuit frater BAPTISTA ſepulchro,
Tanta ſub ignaro ne cubet vmbra loco.

CVRANTE HIERONYMO BONONIO.

*Tertium in nepotum ædibus in horto ſub pergula pro menſa expoſitum tale eſt.*

Hic tua cum multos latuiſſent oſſa per annos,
Carminis & nullo notus honore fores,
Quo



Quo potuit Frater monumenta HIERONYMVS ære
Pro meritis poſuit conſpicienda tuis.
Tu colis Elyſiam felici ſede quietem
Percipiens vitæ munera digna tuæ:
Te domus extinctū TADÆE BONONIA luget,
Pæoniæ haud minimum, qui decus artis eras:
Quod licet officium pietas fraterna peregit
Cum gemitu repetens frater adempte uale.

*At ò Amice quid ſtas ita cogitabundus?*

A. *Diſtrahebatur animus cum ad relata carmina, cum potiùs ad conſumpta monumenta recentiùm, nedum antiquorum, noſtram ſæuam calamitatem deploraturus: quandoquidem plebeius homo vnam tantum mortem atque eam naturalem expectat, nihil vltrà expaueſcit, nulla ipſum corripit alterius mortis anxietas, cordatus autem homo, factusq;, vt dicebat Catullus, cum non modica mica ſalis, ne dum illam mortem expectat, verùm ſecundam, & tertiam ſuperuenturam proſpectat: ſecundam autem mortem voco cum Petrarca noſtro, vbi marmorea concidunt monumenta, quemadmodum in fine libri nummorum veterùm Ioannes Sambucus, vbi de Requie loquitur, aſſerebat.*

Mauſolæa ruunt, lapidumq; cauatio guttis
Fit facilis, longam cum ſubière moram.

*Tertiam verò vbi ad nihilum rediguntur libri, in quibus quantos in tota vita exanthlaſſent labores glorioſi homines*

mines præ ſe ferunt, quare ne dum licet affirmare illud, quod dixerat Iuuenalis, nempe ad ſepulchra diſcutienda valere ſterilem male roboram ficum, caprificum dixit Martialis, ſed quod ipſe Petrarca retulit, abſque vlla hæſitatione ex rerum emergentia roborare, ſcilicet.

Occidet & buſtum, titulusq; in marmore ſectus
Occidet, hinc mortem patieris nate ſecundam.
tum, - mortalia nanque
Eſſe decet quæcunque labor mortalis inani
Edidit ingenio. atque poſtremò
- libris equidem morientibus ipſe
Occumbens etiam, ſic mors tibi tertia reſtat.

B. *Ita eſt merherculè, ſed & apud Theologos, & in rei veritate altera triplex mors recenſetur, vna inquam corporis dum ab illo anima ſeparatur, anima namque eſt ipſius organici corporis potentia vitam habentis actus primus; forma, &, vt ait Ariſtoteles, Endelechia: altera eſt mors animæ quando peccatis obruitur, ac veluti ſuffocatur; reliqua eſt ipſius corporis atque animæ ſimul, dum ſcilicet iuſto Dei Iudicio quis corpore, & anima in inferno inferiori à Dæmonibus perpetuò cruciatur, ſed æquum eſt, vt, cum ipſius celebris poetæ laudes, non valeam in præſentia decantare, potiùs tanquam nouus admirator liceutiùs conticeſcam, & ad eius Epitaphium, quod in D. Petri Eccleſia Cathedrali eſt poſitum, vt huc illud de grati marmore memoria transferam, me conuertam.*

HIER·



HIER. BONONIVS
SIBI VIVVS STRVXIT SEPVLCHRVM
TEMERE NEC QVIDEM.
CVM SIT INCERTVS HORAE,
CERTVS ATTAMEN MORTIS.
QVICVNQVE SEMEL NATVS
HVC MIGRAT TANDEM.
M D X V I I.
HVC INFERVNTOR POSTERI
VOLENT QVIVIS.

A. *Elogium quippe inuentione perſpicuum, perſpicuitate elegans, elegantia ſplendidum, ſplendore graue, grauitate humanum, humanitate gratum, gratitudine munificum, munificentia liberum, ac liberale; quinimo prudentia laudandum, prouidentia honorandum, præuidentia imitandum, veritate admirandum, prognoſtico, ac admonitione expauendum.*

B. *Modò alterum ſibimet præparatum Epigramma carminibus valde conſpicuum, quod ſanè debuerat in proximiori columna ex teſtamento reponi, nũc referamus.*

Lector vt ecce uides cõdẽda HIERONYMVS oſſa
Iuſſi Egomet viuens hoc mea Sarcophago.
Pierides colui, cauſas egique Forenſes,
Taruiſij genitus gente Bononigena.
Me mea per varios duxit Fortuna labores,
Hic æterna quies, & ſine lite mihi eſt.

Q Ipſe

Ipſe quod es quandoque fui: Finem omnibus vnā
Fata parant: quod ſum tu quoque lector eris.

A. *Perpulchrum ſanè Epigramma illi proſaico non abſimile, quòd ſibi Pontanus viuens iam præpararat, quod quidem cum ſit pulcherrimum huic eſſe iuremeritò ſubnectendum putaui.*

VIVVS DOMVM HANC MIHI PARAVI, IN QVA QVIESCEREM MORTVVS, NOLI OBSECRO INIVRIAM MORTVO FACERE, VIVENS QVAM FECERIM NEMINI. SVM ETENIM IOANNES IOVIANVS PONTANVS, QVEM AMAVERVNT BONAE MVSAE, SVSPEXERVNT VIRI PROBI, HONESTAVERVNT REGES DOMINI. SCIS IAM QVI SIM AVT QVI POTIVS FVERIM. EGO VERO TE HOSPES NOSCERE IN TENEBRIS NEQVEO, SED TEIPSVM VT NOSCAS ROGO. VALE.

*Sed ſcias aliud, me inquam his diebus legiſſe maxima quippe cum difficultate tetraſtichum inciſum marmori Ioannis Matthæi Patris Hieronymi Bonony noſtri, quod vti non legibile à te ſuperiùs tactum eſt prætermiſſum, quod inquam ab ipſo Hieronymo, vel fratrum aliquo factum puto, quemadmodum ipſa carmina ſatis indicant.*

Car-



Carminis immeritò dudum ſine honore iacentem
Ornauit memori qui pietate patrem,
Defuncto maius poſſet modò ferre tuliſſet,
Aequum ſed munus viribus eſſe decet.

M. D. XIIII.

B. *Verumenimuero aliud circiter hoc ſepulchrum breuibus dicendum aggrediar, tametſi à Bononio ſatis diſtans viſurum ſit, non propterea ab huiuſmodi Epitaphiorum, Epicediorumuè diſpoſitione alienum: dico igitur ibidem propè ſupradictum ſepulchrum infra eandem columnam vbi ſuperius Epigramma fuerat deſtinatum, his menſibus, nempè Ianuario, tumulatum fuiſſe Hieronymum vnicum gnatulum Clariſs. Petri Grity nunc pro Dominio Veneto Rectoris noſtri, qui puerorum peſte correptus, quæ hoc anno mirandum in modum Taruisy graſſata fuit, variolis nempè, & morbillis, vltimum clauſit diem: quare quantus fuerit parentum moeror, perinde ac noſtrorum omnium ob ſummam erga Rectorem vnicum obſeruantiam, & paternæ triſtitiæ, ac gemitus, & funeſtæ, ſumptuoſæq; exequiæ, quas noſtra Communitas procurauit, apertiſſimum teſtimonium extiterunt: propterea plures in componendis Epigrammatibus laborarunt, vnde, & ego poſtremus omnium hunc viatoris, & Muſæ Dialogum ſcriptitaui, audias.*

 VIA-

VIATOR.

Clauditur heu quid ibi? ſeu quiſnam clauditur iſto
Marmore? quid recinunt vndique Pierides?
Fortè malũ? nam quiſq; genas fert rore madẽtes,
Pullatus ciuis lumina quiſque tenet.

MVSA.

Ille modo cecidit; qui vix ſe erexerat, aſtra
Vertice tacturus, ni cecidiſſet, erat.

V

O' Clio veneranda feras quid, quemuè recenſes,
Clariùs id dubio dic precor ipſa mihi.

M

Vnicus hic natus Rectoris clauditur vrbis,
Proh dolor, hic matris cor manet, atq; patris.

V

Ergo quod Lacheſis vix cœperat, Atropos occat?
Atropos infelix aurea fila ſecat?

M

Vah peſtis variata fuit, quæ hunc ſuſtulit, illa,
Pharmaca quam ſuperent nullus Iatros habet.
Proh pietas, infans HIERONYMVS en citò nõdũ
Sexqui anno viſo funera ſæua mouet.

Hu-



Huius geſta chorus Pegaſeius ardua noſter
Sæpe relaturus, dum ſupereſſet, erat.
Illuſtri lugende vale patre, matre dolente
Perpetuo valeas vnice nate tua.

V

Angele iam cœlis mœſtos ſolare parentes,
Iam lachrymabundis ſomnia læta feras.

A. *Et interlocutoribus verba, & verbis interlocutores ſunt apprimè accommodati, perinde ac conceptus lugubri hoc elogio ſunt eleganter diſpoſiti, qualem ſcribendi normam quandoque comperi infra celebres tumulos Iouiani Pontani.*

B. *Acceſſit poſtremò propè diem diſceſſus huius clariſſimi Prætoris, præfectiq; ab vrbe noſtra, quòd ibi in eadem columna, vbi cadauerculum hoc quieſcit, grati Præſides noſtri annuente Patre conſtrui fecerunt ex lapide porphirite elatum tumulum cum Pyramide ad inſtar alicuius Mauſolæi hoc eleganti Epitaphio ſuperiniuncto.*

HIERONYMI INFAN. PVLCHERR. AC SVAVISS. CINERES PET. GRIT. PRAET. PRAEFQ. AC LAVRA IVSTIN. PARENTES AMORIS. IN CIVITATEM PRAECIPVI MONVMENTVM INSIGNE MOESTISS. RELIQVERE. OBIIT KAL. IAN. MDLXXXI. VIXIT MEN. XVIII. DIES. VIII.

Se-

VIATOR.

Clauditur heu quid ibi? ſeu quiſnam clauditur iſto
Marmore? quid recinunt vndique Pierides?
Fortè malū? nam quiſq; genas fert rore madētes,
Pullatus ciuis lumina quiſque tenet.

MVSA.

Ille modo cecidit; qui vix ſe erexerat, aſtra
Vertice tacturus, ni cecidiſſet, erat.

V

O' Clio veneranda feras quid, quemuè recenſes,
Clariùs id dubio dic precor ipſa mihi.

M

Vnicus hic natus Rectoris clauditur vrbis,
Proh dolor, hic matris cor manet, atq; patris.

V

Ergo quod Lacheſis vix cœperat, Atropos occat?
Atropos infelix aurea fila ſecat?

M

Vah peſtis variata fuit, quæ hunc ſuſtulit, illa,
Pharmaca quam ſuperent nullus Iatros habet.
Proh pietas, infans HIERONYMVS en citò nōdū
Sexqui anno viſo funera ſæua mouet.

Hu-



Huius geſta chorus Pegaſeius ardua noſter
Sæpe relaturus, dum ſupereſſet, erat.
Illuſtri lugende vale patre, matre dolente
Perpetuo valeas vnice nate tua.

V

Angele iam cœlis mœſtos ſolare parentes,
Iam lachrymabundis ſomnia læta feras.

A. *Et interlocutoribus verba, & verbis interlocutores ſunt apprimè accommodati, perinde ac conceptus lugubri hoc elogio ſunt eleganter diſpoſiti, qualem ſcribendi normam quandoque comperi infra celebres tumulos Iouiani Pontani.*

B. *Acceſſit poſtremò propè diem diſceſſus huius clariſſimi Prætoris, præfectiq; ab vrbe noſtra, quòd ibi in eadem columna, vbi cadauerculum hoc quieſcit, grati Præſides noſtri annuente Patre conſtrui fecerunt ex lapide porphirite elatum tumulum cum Pyramide ad inſtar alicuius Mauſolæi hoc eleganti Epitaphio ſuperiniuncto.*

HIERONYMI INFAN. PVLCHERR. AC
SVAVISS. CINERES PET. GRIT. PRAET.
PRAEFQ. AC LAVRA IVSTIN. PARENTES
AMORIS. IN CIVITATEM PRAECIPVI MO-
NVMENTVM INSIGNE MOESTISS. RELI-
QVERE. OBIIT KAL. IAN. MDLXXXI.
VIXIT MEN. XVIII. DIES. VIII.

So-

*Solamen autem tantæ iacturæ manſit Prætori noſtro, quod ſicuti filium Taruiſij mortuum dereliquit, ita filiam ibi paucos ante menſes ſuſcipit, quam quidem de ſacro baptiſmatis fonte Prouiſores vrbis noſtræ leuarunt, cui filiolæ catenam auream ſexaginta circiter aureorum ipſimet patrini donantes nomine ciuitatis circumuoluerunt. Iam verò iterum ad Bononios me conuerto, vbi alterum eius familiæ addere Epitaphium decet, quod pariter in eodem templo non multũ longè à præcedenti Sepulchro elatum altiùs ſtructura quidem maioris ſumptus ſeſe cernentibus manifeſtat.*

ALOYSIO BONONIO FRANCISCI. F. NOTARIO ET R. PVB. TARV. CANCELLARIO.
LVCRETIA MEDVLA VXOR HAERES EX TEST. GRATA, QVOD ILLE SIBI, ET COIVGI T. F. IV. MONVMENTVM ET SIBI F. C.
ANNO GRATIAE. MDXX. MEN. IAN.

*Et hic ex eadem familia, ex qua orti ſunt Ioannes, & Iulius, & tot alij Poetæ celebres, quorum elegantiſſima opuſcula lectitamus, fuerat oriundus, & fuit ſicuti ſapiens, ita diligens, atque in eius honeſto officio accuratiſſimus, ac meritiſſimus. Tale officium Cancellariæ (vt duo verba parergon addam) dum uacat, confertur in Tabellionem unum ex melioribus quem ſelegerit Prætor Clariſſimus illius temporis: & hic eo per totum vitæ ſpatium, cum magna honorificentia, grandiq; admodum vtilitate potitur, quapropter cum illo ſæculo dignus eſſet hic Aloyſius hunc titulum, hunc prouentum pro eius ſcientiæ meritis facilè obtinuit.*



A. *Non quidem ex eadem familia fuit cum ſupradictis hic Aloyſius licet eiuſdem cognominis, & collegij, veluti alterius eſt propaginis Aeneas Bononiatus Prudens vir, ac ingenioſus, qui hoc anno motuproprio Petri Gritij Prætoris optimi eiuſdem Cancellariæ officio donari meruit; cæterùm mihi non libet cum ſilentio pertranſire, Ioannem Bononium, quem fuiſti ſuperius memoratus, eleganti carmine hexametro conſcripſiſſe vitam, mortem, atque miracula Beati Henrici hic Taruiſij anno 1315. X. Iunij mortui, honeſtoq;, vt æquum erat, funere tumulati: quod opuſculum Imperatori Federico III. nuncupatum adeo mirabile notum eſt, vt tametſi typis non ſit excuſſum, plura ſint præ manibus omnium exempla, adeo vt ſit illud nunquam interiturum.*

B. *Errabam igitur, ſed cum propoſuerimus id Bononiorum elogium obſeruatione dignum non leui, illud pedetentim obſecro declaremus, ne immunes, aut oſcitãter Epitaphiorum materiam nos aliquis iudicet ſuſcepiſſe. quapropter ad homines primùm conuerſus dicam vxorem dicti Aloyſij fuiſſe ex magnifica, ac nobili Medulorum familia, vt ex elogio clarum eſt, in qua ſemper celebres, ac generoſi homines floruere, & vt alios nunc præ-*

*præterea fuit Hieronymus Medulus Medicus ſuo æuo clariſſimus, cuius Epitaphium mihi liceat iſtuc à D. Margheritæ fano transferre, tametſi extra proprias ſemitas aliquantulum declinarem.*

GRAVOLINAE FAMILIAE MONVMENTVM VETVSTATE CORRVPTVM. IN MEL. FORMAM RESTITVIT HIER. MEDVLVS NICOLAI F. MEDICVS EX EADEM FAMILIA PER AVIAM DESCENDENS, QVO IPSE POSTERIQ. EIVS INFERANTVR. QVOVE NVPER MARTINVS FRATER SIBI CARISS. VTI IVSSERAT ILLATVS FVIT.
H. M. EXTR. N. S.
ANNO GRATIAE MDXVII. VII. KL. IVL.

A. *Symbola ſepulchrorum, vt video, nimis longè nos à Franciſcanis irretiunt, ſed vtcumque iudicent alij, Ego ſummopere gaudeo talem & elogiorum elegantiam, & Priſcorum hominumglorioſam memoriam audire. quocirca ſi & de relatis viris in hoc Epitaphio aliquid referre velis, mihi præcipuum præſtabis officium, ac ſingulare.*

B. *Non igitur eris inſcius Nobilem Grauolinam familiam hominum obitu, vt eſt humana calamitas, iam pridem extinctam eſſe. verùm ad aliqualem illius memoriam ſcias, quòd vergitur nunc annus centeſimus, videlicet 1481. ex quo declaratum, factumq́; fuit Taruisij haſtiludium ſuperbiſſimum: vbi inter cæteros illuſtres Equites* Hie-



*Hieronymus Grauolinus interfuit cum apparatu ſumptuoſiſſimo; ducebat ſecum hic centum Equites, pedites quinquaginta cum inſignibus, ac ornamentis (vulgò liureis) apprimè admirandis: ad hæc ante illum ſuper tabulato geſtabatur Hercules armatus claua, leoq́; ibi magnus ad inſtar bouis, vt robur tanti uiri denotaretur, tubicines item octo, tympaniſtæ quatuor: nec minori pompa, ſumptu, atque artificio alij Equites proceſsère, ne autem omnia ſingillatim enumerem, ſat habeas ſcire, quòd huic celebratiſſimo haſtiludio miris, uarijsq́; deliciis exornato, vt ex chronicis clarè conſtat, Iudicatum fuit quatuordecim millia hominum interfuiſſe. cæterùm de Hieronymo Medulo reſtat dicere, ipſum aram viſitationis D. Mariæ Heliſabeth ære proprio conſtruxiſſe, illiq́; valde vtilem cenſum adiudicaſſe, vbi talis exculpta ſcriptura eius pium auctorem cernentibus manifeſtat.*

PIAE DEVOTIONIS MONVMENTO POSVIT
HIER. MEDVLVS PHYSICVS.

A. *Vtquid reticebis ex hoc eodem ſtemmate illuſtrem Antonium legum Doctorem omni Virtutum, & meritorum genere glorioſum?*

B. *Minimè gentium reticebo. Hic vir clariſſimus, cuius veneranda effigies Heroicam maieſtatem præmonſtrat, quantum in iuredicundo valuerit, valeatq́;, dicant omnes magnificæ ciuitates, quæ ſub Venetorum auſpicio* diri-

diriguntur: dicat Patauium, Verona, Brixia, Bergomum, dicat Vtinum, quibus in vrbibus præclariſſimis uices Rectorum clariſſimorum non ſemel gerens mirabilis ſemper fuit exiſtimatus, vſqueadeo integrè, ac ſapienter iſtiuſmodi vbicumque munus obiuit: quantum in defendendis, tutandisq; reis, mortiq; penitus deſtinatis dicendo mellita oratione polluerit, atque etiam nunc octogenarius polleat, non eſt vt verba conteram, fama eius percelebris, & frequentes abſolutorum voces feruntur vſque ad ſydera; in conſulendo quis Magnifico Antonio Medulo vnquam inuenit doctiorem, ſubtiliorem, liberiorem? non hic reſpicit clientum manus, eſt etenim & liberaliſſimus, & in noſtra ciuitate locupletiſſimus: ille ad componendas controuerſias ſemper promptus, ad paces conciliandas continuè paratus, ac ſedulus: ad miſeros, ac oppreſſos ſubleuandos nulla expectata, ſiue etiam cupita mercede diligentiſſimus; diffidentes confirmat, afflictos erigit, perditos recreat, &, quod uno verbo concludam, qui pares fortaſſe nullos, ſuperiorem autem penitus habeat neminem.

A. Non modicum ſibi tempus expoſcerent huius admirabilis viri pater Sebaſtianus iuriſconſultus, atque auus Antonius artium, & Medicinæ Doctor percelebris Patauij ſuo æuo ſcholarium artium Rector clariſſimus, ſed horum loco Ioannem eius magnificum filium obſecro memoreris, quandoquidem Aquilæ non generant columbas.

B. Neque hunc Doctorem Iuriſutriuſque clariſſimum, neque eorum ſepulchrum, quod in D. Catherinæ choro

ſtat



ſtat poſitum à meis ſermonibus amotum volo. Vir hic egregius præter alia pro ciuitate, & pro clientibus, quæ in dies exequitur magnifica opera, vnum ſumma dignum laude fuit omnium admiratione proſecutus, tunc temporis ſcilicet, quando inuictiſſimus Sebaſtianus Venerio Princeps Venetus auſpicatiſſimus clamatus, ac declaratus fuit, nam legationis munere fungens pro hac ciuitate ad congratulandum, unà cum Magnifico Equite Antonio de Cathaneis de Spineta Viro Optimo, ita ſtrenuè ſe geſſit, adeo elegantem habuit orationem, ac ſedulam, ut mirandus Senatui Veneto, neque non in referendo omnibus conciuibus, ac toti populo viſus ſit. Sed nunc Epitaphium reſignemus.

MARTINO MEDVLO ANTONII FILIO PATRI RARISS. ANNOR. LXVI. ANTON. IOANNES DONATVS, NICOLAVS, LVDOVICVS FILII.
AN. S. MCCCCLXXVI. VI. KL. IVNII.
V. F.

A. Si quis autem fuerit neſcius (vt tibi iſtud laboris ſurripiam, utq; modicum circa antiquorum monumenta uerſemur) quanti valeant hæ duæ litteræ V. F. ſciat, ut ex antiquis elogiis commoſtrabo, has innuere uel viuens fecit, aut uiuentes fecerunt, aut uiuis fecit: & id genus dicendi, tum alibi, tum Patauij in ædibus Franciſci Quirini Patricij Veneti tale cernitur.

C. LVSIVS QVADRATVS SIBI ET INSTEIAE
MAXIMAE VXORI, ET FILIIS SVIS.
V. F.

*Ponuntur hi charactères quandoque non in principio, nec in fine, ſed ad medium, ut Pataui in Templo Diui Matthæi legitur.*

C. ARMINIVS FELICISSIMVS. V. F.
BONONIANAE CONIVGI
CASTISS.

*Nonnumquam in principio, vt in ædibus modò dicti Quirini videre eſt pulcherrimum Epigramma.*

V. F. S. ET S. L. TERENTIVS ACVTVS CONC.
AVGVR. L. TERENTIO OPTATO FILIO
CONC. TERENTIAE SATVRNINAE. L. V-
XORI CASSIAE. L. LVCIANO LIB.
PVDENTI LIBERTAT.

*Vbi quatuor illæ literæ denotant, viuens fecit ſibi, & ſuis, quos poſtea ſtatim nominat, quòd autem ſimilis ſcriptura ſic legi debeat, præter Quintiliani teſtimonium, & Valerij Probi de antiquis litteris, tametſi Probus etiam ua le Felix, ſeu vale feliciter, & in additione, vſus fructus, & uir fortis interpretetur, patet ex lapide à me Piſauri viſo nempe*

D. M.



D. M.
AGABRORIVS FELIX.
VIVOS SIBI FECIT, ET MINDIAE EPITEV-
SI CONIVGI KARISS. ET INCOMPARA-
BILI MINDIAE CLAVDIANAE FILIAE NA-
TVRALI LIBERTIS LIBERTAB. Q.
POSTERISQ. EORVM.

*Et Pataui in ædibus Alexandri Baſſiani, videlicet.*

M. PERONIVS PRIMVLVS IIIIII VIR. AVG.
SIBI, ET PETRONIAE VXORI
LIBERTIS LIBERTAB. Q. MEIS.
VIVENS FECI.

*& in ædibus ſupradicti Quirini.*

VIVIS F. SEX. VETTIVS FIDELIS SIBI, ET
AXIAE L. AMABILI CONTVBERNALI.

B. *Ad Medulorum porrò Epitaphia abſoluenda reſtat vnum in eodemmet D. Catherinæ Templo altius ſuper lateritio ad tempus tumulo deſtinatum, quem poſtmodum, ſicuti vbiq; alios, iuſſu Pontificis euertentes, relicto titulo cadauer in ſuorum ſepulchrum tutiùs tranſtulère.*

SEBASTIANO MEDVLO MORIBVS, INGE-
NIO, VIRTVTE, AC LIBERALIBVS STV-
DIIS AETATEM, ET OMNIVM SPEM IAM
SVPERANTI, AT CRVDELI PILA MAIORI
LVDENTIS LACERTO, DVM LVDVM IPSE
SPE-

SPECTARET. MISERABILITER INTEREMPTO; ANT. IVRISC. PATER MOESTISS. FILIO OBSEQVENTISS. AC SVAVISS. INSPER.
H. M. P.
VIXIT ANN. XIII. MENS. XI. D. XVI.
OBIIT VERO XVI. KL. QVINT. MDLVII.

*Vbi verba illa* INSPER. H. M. P. *inſperato hoc monumentum poſuit ſunt legenda, ſicuti in ſermone habito ſuper Elogio coniugis meæ antea recitaui. Cæterùm vndè digreſſa fuit oratio noſtra iam reuertatur, & Aloyſij Bononij Epitaphium declarando rem abſoluamus, uerba illa* T. F. IV. *ſi quis ignoret quantum valeant, ſciat ita eſſe intelligenda, Teſtamento fieri iuſſit, quod nedum ex ipſius ſcripturæ ſenſu, verùm etiam ex antiquorum lapidum teſtimonio clarè conſtat: en iſtud elegans, ac melliſluum ex ſomnio Poliphyli, quod in elegantia, ac pietate cum ſuperiori non leue ſymbolum tenet.*

D. M.
GLADIATORI MEO AMORE CVIVS EXTREME PERVSTA IMMORT. LANGVORE DECVB. AT EIVS CRVORE. HEV ME MISERAM. IMPIATA CONVALVI. D. FAVST. AVG. PIE MONVMENT. RELINQVENS, VTQ. ANN. SANG. TVRTVR. INTER SACRIFICAND. ARG. RELIQVI HANC INTINGI EX L. I* ACCEN. FACVL. ET COLLACHRYMVLANTES PVELLAE SOLVERENTVR, LVCTVMQ.



CTVMQ. FVNERAL. OB TANTI INDICIVM DOLORIS DEVELLAT. CRINIB. PROMISSIS RVSSARENT PECTORA, FACIEMQ. DIEM INTEGRVM PROPITIATIS MAN. CIRCA SEPVLCHRVM SATAGERENT ANNVALITER PERPETVO REPETVND.
EX T. F. I.

A. *Hoc idem ad unguem explicatum comperi Ferrariæ in parietibus maioris Eccleſiæ, hoc elogio.*

DOMITIAE DOMITIANO T. F. ROM. AVONCLO L. PLACIDI DEC. FRATRI ALVIDIVS T. F. ROM. SIBI, ET SVIS TEST. FIERI IVSSIT.

*Et Patauij lapidi peruetuſto inhaerent huiuſmodi charactères.*

C. POMPEIVS C. L. LEPIDVS SIBI,
ET POMPEIAE. C. L. PRIMAE
TESTAMENTO FIERI IVSSIT.

B. *Nec eſt praetereundum verbum illud* COIVGI. *etiam apud antiquos, ita quandoque ſcriptum, coniugi legendum eſſe, ut notat Probus, & etiam Belluni legitur in lapide huiuſmodi peruetuſto.*

D. M.
QVINCTIA MAXIMA SIBI, ET CVSONIO
SEVERINO COIVGI V. F.

A. *Quinetiam Romæ in ædibus cuiuſdam Epiſcopi marmor vidi ſic exaratum.*

IVLIA

IVLIA PROCILLA VIX. A. XIX. AMARANTHVS CAESARIS, AEDITVS AB CONCORDIA COIVGI BENEMERITAE POSVIT.

B. *Sequitur Elogium noſtrum,* ET SIBI. F. C. *ſcilicet faciundum curauit, ut conſtat clarè ſcriptum Patauij ſub quatuor imaginibus.*

C. OPPIO. C. F. PATRI
RVTILIAE PRIMAE MATRI
CASSIAE L. F. SECVNDAE VXORI
C. OPPIVS. C. F. T. F. I.
P. OPPIVS. C. F. POLLIO FRATER.
FACIENDVM CVRAVIT.

*Sed, amabò, extenſa carbaſa colligamus, & pauliſper quieſcentes aliquantulum reſpiremus, reddetur etenim, ut ſpero, ex ſapientis dicterio, Maior poſt ocia virtus.*

A. *Aequè Ego contentus aliquantiſper domeſticus ociabor. Vale.*

B. *ET tu valeas.*

FINIS TERTII SERMONIS.

# EPITAPHIORVM SERMO QVARTVS.

INTERLOCVTORES.
BARTHOLOMAEVS BVRCHELATVS,
&
ALEXANDER VONICVS.

B. AVDIVI *aliquando, dum de antiquitate uerba conferrem à quibuſdam & numiſmatum, & lapidum, & fundationum Vrbium ſtudioſis, urbem noſtrã Taruiſium minimè prorſus antiquam eſſe, neque pariter illius apud bonos hiſtoriarum, ſeu Coſmographiæ ſcriptores mentionem fermè aliquam eos comperiiſſe: quapropter admirabundus obſtupebam, reſpondere autem ex tempore tunc ignorabam: quò factum fuit ut huius urbis initium ex illa occaſione curioſius indagaſſem: cum autem*

S Epi-

*Epitaphiorum materiam redolentium ſanè antiquitatem mihi ſic pertractandam ſumpſiſſem, non ab re, quinimo operis pretium me facturum exiſtimaui, ſi ad Illuſtriorem Ciuitatis noſtræ memoriam aliqua non vulgaria ſub initio huius quarti Sermonis de illa, deq; illius antiquitate breuiter recenſerem.*

A. *Si quicquam aliud à te unquam curioſiùs audire excupiui, id unum maximopere expeto, tametſi tibi difficile admodum futurum puto de Vrbis origine ratiocinari, cum omnes propemodum Auctores in publicis eorum annalibus, in chronologiis, chronicorum ue ſupplementis, uel nullam, uel ſanè exilem de huius Vrbis conſtitutione litteris memoriam reliquerint commendatam.*

B. *Quæ igitur rimatus ſum audias. Taruiſium, ſeu Teruiſium, ſiue malimus cum Plinio libro tertio hiſtoriæ naturalis, ubi nominat Tauriſanos, Tauriſium appellare, ueluti aliæ ciuitates omnes, ſuum debile habuit principium, ſuum porrò magnificum augmentum, ſuum denique honorificum complementum: quare ſi quis dixerit hanc vrbem eſſe nouam, & eſſe antiquam, ſub diuerſa ratione non errabit; quandoquidem ſi abſolutionem Taruiſij inſpicimus, nouum eſt, ſi auctionem, non oppidò antiquum, ſi initium, ipſum eſſe antiquiſſimum comperiemus. Cæterùm quiſnam primum iecerit lapidem, non ſatis conſtat, quicquid dixerit Ioannes Annius, eiusq; opinionis multi ſuper verbis illis, Tauriſanos Perſæ gentem ab Api conditam aſſerunt, quæ in Catonis fragmen-*





*tis comperiuntur regiſtrata, quod quidem recitat fuſiùs Frater Leander de Albertis in eius Italiæ deſcriptione, vbi de Taruiſio ſermonem facit. nam, vt ego huiuſmodi errandi anſam præripiam, Tauriſium Perſis eſt Vrbs illa, quam Ptolemæus Ternam vocauit, ut clariſſimè Paulus Iouius Lib. XIII. ſuarum hiſtoriarum hiſce verbis teſtatus eſt. Selymus ad Tauriſium profectus eſt ſtudio uiſendæ, atque obtinendæ Perſarum Regiæ: ea Vrbs ab Choi, vbi pugnatum eſt, itinere bidui diſtat, fuitq; antiquitus Ptolemæo Terna, quæ abeſt à proximo Hircano mari ad Bacucum portum centum & quinquaginta millibus paſſuum. Habetur nihilominus in annalibus Patauinis, tum & alibi, ante Deiparæ Virginis partum annis circiter MCLXV. dirutam, concrematamq; fuiſſe Troiam, atque Anthenorem Troianum Ducem incolumem iſtuc cum filiis, ſociis, ac exercitu ad montes Euganeos transfretaſſe, vbi Patauium, eiectis modico labore Euganeis, condidit; cuius rei locuples eſt teſtimonium T. Liuius in veſtibulo eius hiſtoriæ, & Virgilius libro primo Aeneidos, quando ait:*

ANTHENOR potuit medijs elapſus Achiuis  
Illyricos penetrare ſinus, atque intima tutus  
Regna Liburnorum, & fontes ſuperare Timaui.  
Hic tamen ille vrbem Pataui, ſedesq; locauit  
Teucrorum, & genti nomen dedit, armaq; fixit  
Troia, nunc placida compoſtus pace quieſcit.

*Tametſi rem alio modo tranſactam fuiſſe aſtruat Dion Chriſoſtomus in oratione Troiana, vbi diſputat contra Homerum de eo, quòd Ilium non ſit captum, in qua quidem oratione ipſemet Dion poſt multa de Anthenore, & Aenea ſermonem habens, quod ad noſtrum facit propoſitum, ita ſcribit: Anthenor autem Venetos ſibi ſubiecit, & optimam terram circa Adriam: Aeneas autem totius Italiæ regnum obtinuit, ciuitatemq; habitauit omnium maximam.*

A. *Non admodum diſſimilia carmina de tanto Duce cecinit M. Antonius Sabellicus in ſuo rerum Venetarum panegyrico, nempe:*

His medius terris, quas flumine ſulcat amœno
Hinc Silis, inde rapax Atheſis, poſt Pergama bello
Euicta, Anthenor poſt ferrum lapſus, & ignes
Argolicos, fatis conceſſa ſede quieuit.

B. *Condidit Anthenor præterea hic in proximo ad æſtuaria Anthinorum vrbem, ſeu Anthenoridam, ſic dictam ab eius nomine, quæ vrbs celebris poſtmodum Altinum eſt nuncupata, quod in primo ex vndecim iis libris de origine Venetorum clarè tractatur; de cuius loci amœnitate ſic cecinit aliquando Martialis:*

Æmula Baianis Altini littora villis;
Et Phaetontei conſcia ſylua rogi
Quęq; Anthenoreo Dryadum pulcherrima Fauno
Nupſit ad Euganeos ſola puella lacus:

Et tu



Et tu Ledæo felix Aquileia Timauo.
Hic ubi ſeptenas Cyllarus hauſit aquas:
Vos eritis noſtræ portus, requieſq; ſenectæ,
Si iuris fuerint ocia noſtra ſui.

*Quam ſanè vrbem diripuit, incenſit, deſtruxitq; peſſimus Attila, ut præter alios & Ioannes Candidus, & Gregorius Amaſeus libro tertio Aquileienſis hiſtoriæ diffuſius manifeſtat.*

A. *Iam legi quàm peſſimè nobiſcum egit Attila libro V. illorum vndecim quos referebas, & huiuſmodi verba compatiens tunc memoriæ commendaui. Eodem impetu, quo Aquileiam cœpit, deſtruxitq; Attila Concordiam, Taruiſium, Patauium, Altinum, Brixiam, Bergomum, Mediolanum, & Ticinum, & quotquot aliæ præter Mutinam in illa Prouincia extabant vrbes. porrò ſtreuui huius Ducis, Anthenoris inquàm, Cenotaphium à me lectum Patauij pro foribus baſilicæ D. Laurentij, inter Epitaphia noſtra conferre liceat.*

Inclytus ANTHENOR patriæ uox niſa quietem
Trãſtulit huc HENetum, DARDanidũq; fugas,
Expulit EVGaneos, PATauinam condidit Vrbem,
Quem tenet hic humili marmore cæſa domus.

B. *Non ab re certè: quod quidem Epitaphium iuxta Platonis leges conflatum eſt. dicebat etenim duodecimo de legibus Plato loquens de ſepulturis, lapides non maiores ſuperſtruantur, quàm ut poſſint defuncti laudes quattuor*

ſolum

*ſolum Heroicis verſibus editas comprehendere. cæterùm deinde habetur in iam dictis annalibus Patauinis, ſicuti, & apud Sicardum Cremonenſem Epiſcopum, Comitem quendam Troianum, Theſeum hunc nominant quidam, quod & Andræas de Quero in eius vniuerſali hiſtoria ſubodorauit, primo poſt Anthenoris mortem anno Taruiſium Caſtrum modicum hic ad altiores Silis ripas infra arbores conſtruxiſſe: de Anthenoris autem obitu duæ reperiuntur opiniones parùm ſanè differentes: altera ſiquidem tenet ipſum ſenio confectum Patauij occubuiſſe anno ante CHRISTI aduentum MCXIII. altera verò MCXLI. quocirca primum Taruiſij lapidem per annos circiter mille centum ante ſaluificum Natale Domini iactum fuiſſe, ex ijs, quæ hucuſque retulimus ſatis conſtat. Quam veritatem ſubodoratus Hieronymus Bononius in eius Antiquario Taruiſano, de huius vrbis origine hæc verba protulit; Quicquid ab alijs hactenus deliratum fuerit conſtantiſſimè refutantes nos affirmabimus eoſdem primos hæc loca, & Caſtella poſuiſſe Troianis Henetos ſocios, qui Patauium, Altinum, Opitergiũ, cæteraq; in hoc tractu vicina Oppida condiderunt: Caſtellatim verò vetuſtiſſimos Taruiſanos habitaſſe, & Taruiſanam, quam ipſi incolerent, regionem appelatam, veluti & M. Antonius Sabellicus præcinerat in eius cratere Vicentino, vt ex his uerſibus palàm eſt.*

Inde adeo multis ſe ſe voluentibus annis,
Poſt Aſiæ excidium, conſumptaq; Pergama flãmis,

Anthe-



ANTHENOR patria profugus ꝑ tela, per hoſtes
Erutus Adriacis uictor conſedit in oris:
Tum Veneti rerum Comites, ſortiſq; futuræ
Troica ſigna ducis melioraq; fata ſecuti
Euganeum bello uictum pepulère uetuſtis
Sedibus, & uictæ dant iura, & nomina terræ.

*Taruiſana etenim regio, vulgò Marca Triuigiana, de qua inferiùs colloquemur, Venetia antiquo Latino nomine nuncupatur.*

*Cur autem tot veteres hiſtoriographi, & qui Coſmographiam, atque de ſitu vrbium ſcripſerunt, paruam, & ferme nullam de Taruiſio noſtro mentionem fecerint, ſcire liceat, non aliter, atque lumen maius minus occulit, ac offuſcat, Taruiſii tunc Caſtri modici nomen à Patauio, Altino, Opitergio, Concordia, Aquileia offuſcatum, atque occultatum fuiſſe: ac veluti nunc ab exteris dicitur Taruiſinus qui Aſylo, Noali, Meſtri, Opitergio, atque alijs huius tractus Oppidis eſt oriundus nulla facta memoria tot locorum, qui ſub Taruiſina ditione ante nec multos annos, nunc autem ſub Venetina reguntur; ita nec Taruiſii, quia antiquitus modici erat circuitus, atque ſolummodo pullulabat, vlla condigna apud antiquos mentio reperitur.*

*A. Vtiquè hæc omnia diligenter propoſuiſti, & gaudeo, quòd, vt dicebat Flaccus, primo es orditus ab ouo: Sed quomodo, & qua ratione debemus noſtram hanc ciuitatem denominare?*

*nominare? Teruiſiumnè, an Taruiſium, an potius cum Plinio Tauriſium?*

B. *De Nomenclatura, atque Ethymologia vocabuli non ſatis conſtant ſcriptores, tametſi deductum à trina facie nomen eſſe conueniant: alij ſiquidem ſcribunt, ſicuti Pucinus de Prato Conciuis noſter (vt omittam interea eos, qui Taruiſium à Taurinis montibus dictum putant, atque etiam omne illud quod dixit Strabo, & Plinius de Tauriſcis dictis Noricis, de Taurinis populis, vnde Auguſta Taurinorum, de Tauris Sarmatiæ Europæ populis immaniſſimis, veluti & quid Diodorus Siculus de Tauromenio patria Timæi hyſtorici, atque alij de Tauriſatijs nunc Turſis vocatis, aliasq; non abſimiles huic nomenclaturas, vnde quis Taruiſinos deriuaſſe arbitretur) ſcribunt inquã Patauinos ſupra vrbis portã, quæ ad Oppidũ Teruiſium vergebat habuiſſe imaginẽ lapideam trinam faciẽ præſeferentem, hancq; portam Teruiſii vocitaſſe, & ob id Caſtrum ipſum Teruiſium nuncupaſſe: non aliter fermè atque nunc Oppidani de Caſtro Franco oram, ſeu burgum Taruiſii vocant illum, qui Taruiſium verſus deriuat; Alij aſſerunt hanc trium facierum ſtatuam fuiſſe ſuper Turri altiſſima Taruiſina; ibique ſtatutum fuiſſe terminum Altini, & Taduæ confinia præſcribentem, ſicuti in quibuſdam manuſcriptis Chronicis inuenimus regiſtratum. Alij poſtremò ex tabella ænea inuenta ad radices iugi Aſylanei in valle porcifera, vulgò braida, anno Domini 1307. cui vt veridicæ fidem maximam omnes*

*nes*



*nes iudicant adhibendam. dictum eſſe Teruiſium teſtantur, quoniam ibi incolæ in conſtructo templo D. Prudentiam trinam ferentem faciem, ut erant Ethnici, tunc temporis venerabantur: cuius quidem tabellæ tranſumptum legi: in qua dum de ſtatuendis confinibus inter Patauos, & Pedemontanos, ſeu Aſylianos litigaretur, per longam orationem à Romanis fuit declaratum terminos eos paſſim huc, & illuc affigendos eſſe: paſſus autem talis eſt. Et deinde per viam rectam ad Parumberam Florij, & per anfractum ad viam Varaniam vſque ad villam C. Quintij Quintianorum, ibei terminus ſtat, non longè à fonte Silare, qui ducit ad Caſtrum paluſtre derelictum, & deſtructum, vbei ſtat templum D. Prudentiæ trinam faciem ferentis; incipit autem ſcriptura.*

Q. MARTIVS MINVTIVS Q. F. *& cæt. tempus eius eſt ab vrbe condita 637. Olimp. 166. ab eiectis regibus 393. quæ plurium ibi relatorum conſulum nomina cum dictis temporibus concordare inueni ex iis, quæ Gregorius Holoander in fine magni iudicum Codicis regiſtrauit. ex ſupputatione autem facta cum Roma fuerit condita annis circiter DCC. ante ſalutem, Olympiade VII. poſita fuit hæc tabella circa annum 63. ante CHRISTI Domini Natiuitatem: quapropter non poſſum ſummo iure non admirari Aſylianos noſtros credentes per hanc tabellam Taruiſinos reddi minus claros, tum quia ibi appareat Aſylianeam ciuitatem fuiſſe quandoque Coloniam Romanorum, non ſic Taruiſium, tum quia*

T *quia*

quia patet per eam Taruiſium fuiſſe locum paluſtrem, nullius nominis, ac derelictum: quibus breuiter ex eadem tabella in præſentia reſpondebo, ne vlteriùs ſe perperam ſuprà Taruiſinos extollant; primò igitur ex ea ſcriptura, & magis ex rei veritate, ſuperq; ſatis conſtat Taruiſium tunc temporis fuiſſe, atque vbi nunc eſt, ſecus Silis, ſeu Silaris amnis decurſum, ergo non nouum, nec alibi poſitum: dicitur inſuper Taruiſium fuiſſe Caſtrum derelictum, & deſtructum: quid ex hoc arguendum? niſi ipſum fuiſſe antiquum, nobile, ac aliquando forte Oppidum, ac munitum, vi autem inimicorum deſtructum, ac deſolatum ita, ut etiam inhabitabile propemodum redditum eſſet, donec iterum fuerit reparatum: nonnè cecidere urbes magnificæ, ac prouinciarum metropolitanæ? ubi nunc Troia, Carthago, Lacedæmon, Athenæ, Thebæ, Corynthus, Syracuſæ, & aliæ celebres vrbes?

A. Siſte parùm, dicas etiam cur & paluſtre dixerint Caſtrum Taruiſium noſtrum.

B. Paluſtre dixerunt Caſtrum (ſi modò tabellæ fides eſt adhibenda) eo quoniam paludes aliquæ ſecus illud conſtabant, non quidem quòd eſſet Oppidum, veluti humilis inſula, inter vluas, ac harundines conſtitutum, ſed quoniam in placido Sili, cuius curſus nullis aggeribus, nullis adhuc artificum ædificiis alterabatur, reperiebantur paludes aliquæ, itidem ſuperiùs ad Butinicæ oſtia, præcipuè propter fontes paſſim ſcaturientes, quæ nihilominus aquæ flumina ſemper, non ſtagna vnquam fuere cognitæ: paludes



ludes autem mira incolarum induſtria ſcimus quantum fuerint abolitæ, ac ſuperatæ; ſed vt clariùs hanc veritatem agnoſcant exteri, ſciant in locis prorſus paluſtribus non reperiri profundos puteos, ſed tantùm ſtagna, lacus, fluuios, fontes, & riuulos: Taruiſij autem plures puteos reperiri, nedum octo, vel decem pedum altitudinis ſed triginta, & quadraginta, & vltra complures: quinetiam comperiuntur adhuc fornices ſubterranei permeabiles, viæ ſtratæ, ſub, ſupra, & à lateribus lateribus fabricatæ per vniuerſam fermè ciuitatem ad Turrium radices, ad receſſus varios deducentes. Cæterùm vt ad rem iam iam tactam reuertar quid Ego de longinquis Vrbibus loquor? vbi nam Altini, Concordiæ, Aquileiæ magnificentia, ac robur? diruta, ac fermè abolita ſunt omnia, & reddita ſunt inhabitata loca, inſalubria, & prorſus morboſa, præſertim Altinum, quod tamen delicioſiſſimum, ac nobiliſſimum ſimul cum Aquileia ſibi in extremum domicilium elegerat lepidiſſimus poeta Martialis, quando dixit:

Vos eritis noſtræ portus, requieſq; ſenectæ
Si iuris fuerint ocia noſtra ſui.

vbi ſanè etiam nunc numiſmata ſępe, ac ſępius, aliaq; magnifica monumenta eruuntur: neque id inquam arguit non fuiſſe aliquando celeberrimam hanc, & populoſam urbem, veluti de Taruiſio dicendum iudico cum circa illud plura eſſent palatia Romanorum: quandoquidem præter

*ter villam C. Quintij, quæ adhuc nomen retinuit, & in poſterum conſeruabit, ſic proſequitur tabellæ ſcriptura. Et exinde recto curſu in riuo Silaris vſq; ad Leimurim, atque pagus hic nomen ſeruauit, & ædes Metellorum, & ibei terminus ſtat, cum his litteris T. P. H. & inde longo flumine ſurſum vſque ad ædem Veſpeſianorum ibei terminus ſtat apud Caſtrum Naruiſium, & inde in Riuo albo vſque ad villam Viturianam apud ædem Viturij Vituriani extra flumen, ibei terminus ſtat, & inde recto curſu fluminis albi, & contra vſque ad caſtriolum Querquedum, ibi terminus ſtat cum litteris iſtis;*

FORTVNA DEA PEDEMONTANORVM INFERIORVM.

*Quapropter ſcire debes Veſpeſianos ruri proprio nomen reliquiſſe, quod ſanè vulgo dicitur, Spreſianum, ſic Caſtrum Naruiſium iamdudum in uillam Naruiſiæ commigraſſe, quod admodum multis Oppidis in agro Taruiſino eueniſſe compertum eſt: ſicuti non eſt ignorandum Riuum album, qui ſtatim flumen dicitur, eſſe Plauim, cuius aquæ propter ſubiectam glaream ſubcineritiæ ferè ſemper apparent: perinde atque villam Viturianam tunc temporis eam eſſe, quæ etiam nunc dicitur vulgari nomine de Vidoro, ſed elegantiùs ſcribentes denominatiuo vocabulo Viturianam vocant: veluti ædes Viturij Viturini ſtatim extra flumen ſunt illæ, vbi nunc eſt Abbatia Vituriana ſuper duriſſimo lapide rapidiſſimis vndis expoſito*



*poſito antiquitus fabricata, vbi inquam, ſicuti illis temporibus Bona Romanorum Dea colebatur, cuius templum Romæ etiam in ſaxo Auentini montis iam extitit, vt notat Iulius Iacobonius in Priſca Cæſiorum gente illuſtri calamo referenda: de qua Dea Tibullus,*

Sacra Bonæ maribus non adeunda Deæ.

*Nunc etiam eodem ſeruato nomine Bona Chriſtianorum Sancta pariter veneratur: teſtimonium ſit hoc marmor ad medium illius Eccleſiæ conſtitutum.*

SEP. g FRANCISCI DE RODIGIO DEI, ET APLICAE SEDIS GRATIA ABBATIS MON. S. BONAE DE VIDORO.

*Sicuti poſtremo Caſtriolum Querquedum, quem locum Querquanum dicimus, ſeu de Quero, nunc inter pagos Taruiſinos enumeratum illud eſt, ubi adhuc cultus extat lapis nobiliſſimus iſtiuſmodi.*

G. RAPIDIVS C F. RVFVS IIII. VIR.
AP. SIBI SEMPRONIAE L. F.
TERTIAE VXORI C. RAPIDIO C. F.
C. RVFINO FI. C. RAPIDIO C. F NEPOTI.
RAPIDIAE C. F. MAXIMAE NEPTI
T. F. I.

*Quocirca profectò, vt ad propoſitum reuertamur, ſi Altinum, Aquileia, & huiuſmodi ciuitates dirutæ reſtituerentur,*

tuerentur, & nouæ dici poſſent, & antiquiſſimæ, veluti, exempli gratia, in Equiliorum inſula, penes quam Plauis Mari Adriatico cenſum defert, antiquitus conſtructa fuerat Vrbs Equilia: quam deinde Hunni, vt notat Sabellicus de Venetorum Geſtis, dirutam concremarunt, nunc ex parte aliqua reſtituta, Noua ciuitas appellatur: ad hæc autem Taruiſium fuiſſe & antiquum, & belligerum, & plenum Populo non leue eſt indicium lapis peruetuſtus Gradi poſitus, vbi iſti impreſſi characteres conſpiciuntur.

LAVRENTIVS MILES
DE NVMERO TARVISIANO.

*Sed & aliud marmor, quod poſtremò comperi in antiquis muris ædium amiciſſimi mei Aloyſij Federicij Medici ſingularis, in quo Romani (ni fallor) ciuis Municipis Taruiſini eſt inſcriptum Elogium: hanc Vrbis huius antiquitatem teſtatur.*

ISID. REG.
L. PVBLICIVS. EVTYCHES
MVN. TAR. LIB.

*Fuiſſe autem nobilem Ciuitatem Taruiſium etiam ante annos 1160. teſtetur præter cætera marmor illud antiquum, & ſatis prolixum Venetiis in Riuoalto infra ædes D. Iacobi conſtitutum, vbi quatuor Epiſcopi recenſentur, qui anno Chriſtianæ ſalutis 422. ad illius Templi conſecrationem, quod primum fuit in illa Vrbe conſtructum,*

inter-



*interfuère: nempe Seuerianus Patauij, Hilarius Altini, Iocundus Taruiſij, & Epodius Opitergij Antiſtites venerandi.*

*Sileant igitur Aſyliani de Silina ciuitate, ſic aliquando denominata à Sili peramœno fluuio interlabente, nedum quoniam Caſtrum Taruiſio ſubiectum incolant, verùm etiam propter antiquitatis reuerentiam, vbi præſertim Dea Prudentia colebatur.*

A. *Memini me legiſſe in Cataſtico vocato R. Fratrum Nonantularum, Taruiſium aliquando dictum fuiſſe Silum à Sili flumine ſilentiſſimo, verùm poſt ædificationem Caſtri Sili, quod Aſylum poſtea dictum fuit, ciues Taruiſij nomen fuiſſe ſecutos: perinde, atque apud Raphaelem Volaterranum libro quarto Geographiæ capite de Venetia, hæc ſubſequentia. inferiùs verò ſecundum flumen Silum Tauriſci Oppidum, nunc Taruiſium, vbi pater Totilæ regnauit: atque poſtremò apud F. Sanſouinum in adnotationibus ſuper Beroſi, Catonis, Sempronij, aliorũq; antiquitatibus nuncnunc editis Phaetonteos vocatos eſſe populos Taruiſinos primis illis temporibus, ante ſcilicet Theucrorum appulſum: ſed ipſi viderint. Cæterùm quid de Colonia? illud ſanè, quod apud Hygenum de limitibus obſeruaui, nempe, Finitis bellorum operibus augendæ Reipublicæ cauſa illuſtres Romanorum viri vrbes conſtituerunt, quas aut victoribus populi Romani ciuibus, aut emeritis militibus aſſignauerunt, & ab agrorum nouæ dedicatione culturæ Colonias appellauerunt. Vi-*

ctoribus

ctoribus autem aſſignatæ Coloniæ iis, qui temporis cauſa arma acceperant, non enim tantum militum incremento Reſpub. populi Romani habuit, erat tunc præmium terra, & pro emerito habebatur: multis legionibus contigit bellum feliciter tranſigere, & ad laborioſam agriculturæ requiem primo tyrocinij gradu peruenire, nam cum ſignis, & Aquila, & primis ordinibus, ac Tribnnis deducebantur: modus agri pro portione officij dabatur, vt etiam Paulus Manutius Aldi filius adnotauit: ſed omnibus accuratius Carolus Sigonius vbi tractat de antiquo iure populi Romani, vbi inquam recenſens Colonias Romanorum plurimas, quotquot nouerit, Aſylum non ponit, cum Aeſulum, Alſium, & Aſculum Colonias nomen id æmulantes reponat. Ex dictis igitur colligere non eſt arduum Aſylum Caſtrum, quod nunc eſt & locuplete, & magnificum, vnde præcipuè eſt oriundus illuſtris Eques Ioannes Beltraminus, qui Sauram Liberalis Vulpati patricij noſtri probatiſſimi viri filiam tanto patre dignam traduxit, multo tempore poſt Taruiſium conſtructum fuiſſe, non à Troianis quidem, ſed à Taruiſinus potiùs, aut etiam à Romanis, neque mehercle video iſtud Oppidum, ſiue eius Arcem deſcripta à Coſmographis fuiſſe, uel nominata, cum tamen recentiores Taruiſium dumtaxat intra Patauij, Tridenti, & Iſtriæ circuitum, vti nobiliſſimum, nec vllo pacto prætermittendam Ciuitatem delineent: & licet teneant complures Aſylum illud eſſe, quod à Plinio, Ptolemæo, Pomponio Mela, & aliis

Acelum,



Acelum, Acedumvè nuncupatur, errant mea ſententia, quandoquidem Acelum illud eſt oppidum, quod nunc Monſſilicis appellatur, vt indicant paralelli, & graduum ſupputationes, vtq; adnotauit, præter Scardeonium, & alios, Ponticus Vitruuius Conciuis noſter Poeta celebris, oratorq; non obſcurus; ſicut etiam ex ſitu illius à Ptolemæo, aliisq; Coſmographis in tabulis poſito facile eſt confirmare: tametſi Cynthius Acedenſis Acedum fuiſſe aſtruat Vrbem propè Serrauallem nobile Caſtrum Venetiæ noſtræ, quæ nunc Ceneda, & Ceneta nuncupatur: cuius vrbis memoriam facit Agathius libro ſecundo bellorum Gotthicorum, perinde ac Paulus in hiſtoriis Longobardicis, quæ tametſi Epiſcopum adhuc retineat in omnibus imperantem, ora quidem lata potiùs apparet quàm ciuitas.

B. Cum tu Ludouici Pontici conciuis noſtri memoriam excitaſſes, quem & Frater Leander, & alij memorarunt, ne Epitaphiorum perinde, atque illius docti viri eſſe videamur obliti, en affero tibi elogium, quod idem Poeta in Templo D. Michaelis fratri ſuo in marmorea tabula dedicauit.

HÆC HIERonyme habe mæſto cõmunia fratri,
Quæ mihi ſperabam te ſuperante dari,
Forma decens, ætas viridis, robuſtaq; membra
Claudere debuerant lumina noſtra priùs,
Fraterni manes, poſtquàm ſic fata tulerunt,
Expectate meos, PONTICVS en propero.

V Siſte

A. *Siſte precor, audi etiam illius Epitaphium ſatis antiquum, & lepidum, quod, dum in eo delubro heri præteriens exeunti Clerico ad Miſſam celebrandam interfui, in ſcamnis fermè abſconditum recognoui.*

D. M.
HEVS TV? PONTICVS POETA,
ET HIERONYMVS PICTOR AMICLEISS. FR.
HOC SCIS, PLACET HOSPITIVM ACCEDE,
NON PLACET SOSPIS ABI.
H. S.

*Vbi illud verbum* AMICLEISS. *inciſoris errorem credebam, vt loco Amiciſs. poſuiſſet, nihilominus dictiones græcas penſiculans, hanc inferre comperi ſuauiſſimos, ac iucundiſſimos.*

B. *Quod autem ad Taruiſium ſpectat, ut intelligas in expeditionibus non Aſylianos vocari ad bellum, ſed Taruiſines, cum quibus omnium fermè in hoc ambitu Oppidorum incolæ concluduntur, audias quædam Sabellici carmina in Munitionem Sonciacam decantata.*

Iuſſus ab Euganea cultor diſcedere terra,
Taruiſiumq; ferax raſtris armauit agreſtes,
Hos Bellunenſes, hos Feltria turba ſecuta eſt.
Quiq; Opiterginos colles, qui ſtagna frequētant
Nobilis Altini, Carni venère recentes
Diffuſos per rura vetus Concordia mittit
Agricolas, & qui curuo proſcindit aratro
Tiliauenteam magno diſcrimine ripam.

*Alterum*



*Alterum porrò ſcitu, ac memoratu dignum in propoſita diſputatione mihi referendum eſſe conſidero, unde ſcilicet Marchia Taruiſina dicta ſit vniuerſa hæc regio, quæ Venetiæ Latino nomine deſignatur, & in ſe continet, uel ex ipſius Ptolemæi Geographia Bellunum, Altinum, Opitergium, Taruiſium, Vincentiam, Acelum, Ateſte, Adriam, Patauium, atque etiam, vt ponit Calderinus, Cænomanorum ciuitates multas, quinetiam hic terminos ſtatuit, vnum Ferrariæ ad Pontem ferri, alterum Belluni, tertium ad Venetiarum æſtuaria, poſtremum ad fluuium Tiliauentum in patria Fori Iulij, ſed breuiùs M. Portius Cato inquiens, Venetia eſt omnis ora circa ſinum maris poſt Hyſtriam vſque ad Padi oſtia, tametſi quidam inter Venetiam, & Marchiam Taruiſinam differentiam ſtatuat, Marchiæ terminos præſtringens, à Mincio ſcilicet, ſeu Benaco ad Alſam, ſeu Liminum flumen in Foro Iulij. Quapropter non eſt ignorandum, quòd dum circiter annum* DLXX. *à glorioſæ Virginis partu Longobardi Italiam occupaſſent, eamq; ſub ſui regimine per* CCIIII. *annorum ſpacium poſſediſſent, vt habetur in nono ex iis vndecim libris de Venetiarum origine, quatuor in ea Ducatus, & duos Marchionatus, ſic dictos, conſtituère: Ducatus erant Fori Iulij, Beneuenti, Spoleti, & Taurini: Marchionatus verò alter in Pyceno, & dictus fuit tractus ille Marchia Anconitana; alter verò in Venetia, & dictus fuit Marchia Taruiſina. denominata fuit autem hæc Marchia*

*chia ab vrbe Taruiſio, non à Patauio, Vincentia, vel Verona, quoniam Agelulphus huius Marchionatus Marchio primus maluit Taruiſij, quam Patauij, Vinceatiæ, Veronæ, ſiue in aliis ſuæ ditionis Vrbibus habitare, cuius rei teſtis locupletiſſimus extat Blondus hiſtoricus in eius Italia inſtaurata dicens: Longobardis Italiæ imperantibus duas tantùm regiones fuiſſe, quæ ad poſteros iurè ſucceſſionis tranſirent, quod Marchionatus eis in ſua lingua ſonat: altera quidem erat Pycenum, & dicebatur Marchia Anconitana, altera verò Venetia, & dicta eſt Marchia Taruiſina, quòd in his Vrbibus duo præcipuè Longobardorum Principes Regnum haberent, atque ibidem habitarent: Reliquæ uerò Italiæ regiones amicis ducibus, & annuis magiſtratibus regebantur, in quibus nullum ſucceſſionis ius poſteris foret. quibus omnibus os occulitur Auctori Supplementi chronicorum, qui licèt de hac ciuitate noſtra verba faciens vno in loco veritatem demonſtret, videlicet quando dicit, Taruiſium ipſius Marchiæ Taruiſinæ ciuitas, & ipſa, vt Sicardo Cremonenſi Epiſcopo placet, à quibuſdam Troianis fundata fuit, abluitur autem, imò potius diuiditur Silo fluuio, qui ex ipſius propioribus montibus exit, aliis quoque vberrimis aquis in ea quaſi ſcaturientibus irrigatur: Hæc Gotthorum temporibus ſuam, quam etiam nunc tetinet, dignitatem obtinuit, eo quia Totilæ pater Rex ibidem ſedem Regni ſibi conſtituit, & in ea Totilam filium virum poſtea præſtantiſſimum genuit, educauitq; ac nutriuit*





*triuit. altero tamen in loco iſte Monachus veritatem ipſam minus indagans, ac perſcrutans imprudens circa mendacium diuagatur, quando dicit: Quì autem ab hac Vrbe vniuerſa regio Taruiſina denominetur, factum eſſe credo à maiori nominis abſurditate, ut hæc appellatio Marchiæ Taruiſinæ in ipſa manſerit, cum ea in regione ſint ampliſſimæ Ciuitates Verona, atque Patauium, quæ ſemper & dignitate, atque potentatu, necnon & opulentia Taruiſio anteierint.*

A. *Ecquid faciunt Epitaphia Franciſcana? audi quod uidimus Venetiis in Clauſtro Fratrum Franciſcanorum Elogium ſummi Principis, quod Taruiſinam Marchiam memorari non aſpernatur.*

Laudibus innumeris, meritisq; patentibus iſte
FRANCISCVS virtute nitens clariſſima proles
DANDVLA quẽ genuit, patriæ venerabilis huius
DVX fuit illuſtris, qui liberatis amator
Edomuit faſtus tumidos, & vincla reſoluit.
MARCHIA quas dudũ nimiũ quoq; preſſa iacebat
TERVISINA quidem, vicinaq; Caſtra ſalinis
Attentata ruit, claris dum rexit habenas:
Quaq; decus terraq; mari ſucceſſibus, auxit
Hic Venetum patriam, hoſti magis eſſe timendam
Fecit, at undeno ſolij præſignis in anno
Deceſſit felix, Domini tunc mille trecentos
Terdenoſq; nouem Phæbus deuoluerat annos,
Luxq; Nouembris erat cũctis celeberrima Sanctis.

*Iam vero neque ego poſſum cum ſilentio præterire alterum huius Auctoris errorem, ſi priùs hic retulero uerba aliquot huius ciuitatis magnificentiam atteſtantia; quæ Olaus Magnus in tradendis Gotthorum hiſtoriis in geſtis Totilæ, dicti etiam Balduillæ, Taruiſini Regis admirandi ad calcem his litteris conſignauit, nempe, Vtcumq; fuerit, certum eſt clariſſimum, atque potentiſſimum Regem Totilam poſt plurima, & admiranda fortitudinis opera vita deceſſiſſe, vt ſit toto memorabilis æuo: ſiue ipſum origine Gotthum, prout erat, affirmauerimus, ſiue etiam Venetum dixerimus, quia natus erat Taruiſij in ſua paterna, & hæreditaria Vrbe, quæ inter claras Venetiarum Ciuitates famam, & gloriam obtinet immortalem. error autem Chroniſtæ illius eſt, quòd loco à te primùm citato dixit: Silum fluuium à finitimis montibus exire, cum non vltra ſeptimum ab vrbe lapidem in pago dicto Caſacurua fonte humili ſcaturiat limpidiſſimus: quod clarè, præter ipſam rei veritatem, atque oculatam fidem, teſtatus fuit Medicus, & Poeta excellens Iacobus Antonius Benalius noſter in quodam eius etruſco poemate, quod ſcripſerat deplorans ſummi Cardinalis, Poetæ, ac Oratoris Petri Bembi obitum ad Auguſtinum Beatianum inter poetas celeberrimum: quod in ipſius Beatiani lachrymis typis iamdudum excuſſis legitur regiſtratum, verſus ſunt tales:*

*Meſto ne la ſua Caſa corua humile*
*Co'l pianto accreſce l'acque del ſuo corno*
*Il noſtro antico, e venerando* SILE.

*Quanti*



B. *Quanti refert oculata fide res pertractare: & propterea Hiſtoriographi multi, & non pauci Coſmographi in eorum operibus innumeros committunt errores, quippe qui loca non viderint, ſed quicquid vel audierint, vel ab aliis ſcriptum compererint, præſcribant, atque pronuntient: ita fit vt cœcus ſæpe alterum cœcum ducens, ambos ſeſe in foueam præcipites dedant: attamen dum poſſumus ſcriptores nobiles excuſemus, deceptus fuit iam dictus Auctor, ſicuti & Ioannes Boccatius, ubi de fluminibus tractat, dicens: Siler Venetorum eſt fluuius de montibus exiens Taruiſinis, & Taruiſium Ciuitatem alluit, vnà cum Plinio, & aliis idem aſtruentibus, forſan credentes Butinicam eſſe Silim, cum & ipſa Vrbem percurrat, ac veluti in partes diuidat, cuius ſanè fluminis bona pars à Plaui rapido amne deriuat, Plauis autem à propioribus montibus furens exit: niſi velit aliquis Ioanni Candido aſſentiri, quando de Tiliauento maiori, & minori locutus, ita ſubinde dixit: Non multò longiùs exit Plauis à monte Sellio: clarè oſtenditur hunc fluuium fuiſſe Silim, qui oritur in montibus Taruiſinis propter antiquũ alueum, in quem dilabitur, vnde in præſentia Plauis non multùm ſupra Taruiſium emergit: & forſan manifeſtat nomen Sellij montis, à quo ducit originem, cum ſequentibus, ſed nihil ad rem noſtram, cum Plauis fluuius, ſeu potius torrens tendat ad mare verſus Orientem Solem; Taruiſium autem ei poſitum ſit ad Auſtrum, neque vnquam niſi ex inundatione aliqua nullo certo ſeruato alueo*

*ad*

ad hanc vrbem deſcenderit, & Butinica pars Plauis exigua, à fontibus namque augetur, ipſum Silim in ciuitate per tranſuerſum adoriatur, cum quo vberiori fluuio permiſta deorſum ad Adriaticum tendit ſinum. aliter nihilominus videtur hunc & ipſius Plinij errorem Hieronymus Bononius in eius Antiquario excuſare aſſerens, poſſe Silim noſtrum à vicinis montibus ortum trahere, & per ſubterraneos quaſi cuniculos delatum in hanc demiſſiorem planitiem deſcendere, vbi meatu faciliore poſſit exire: quod etiam illius peramicus Aurelius Augurellus, ſermonum decimo ſecundi libri, his verbis elegantiſſimè manifeſtat.

Poſtquam Naiadum decus huc Bellona receſſit,
Subriguitque, Silim fugiens è fontibus amnem
Occultis, quibus hic longis ambagibus errat
Subter humũ, atq; iterum ſub lucẽ limpidus exit.

Ego nihilominus vt id mendacium expurgarem, probabiliter dicerem à Typographis litteram falsò permutatam fuiſſe, & eos loco fontibus, montibus poſuiſſe, fortaſſe qui credere haud quàquam poſſent, fontes tale amplum, ac nobile flumen inducere, quod tamen eſt veriſſimum, & qui videt, teſtimonium perhibet fidele; ſed dum his ſtudiis operam præſtarem meam, ac hucuſq; rem produxiſſem, perculſit ſubitò animum, vt Plinianos codices alterius cuiuſpiam impreſſionis ſimul conferrem: & arreptis illis, quos habeo gratiſſimos, præcipuè quoniam hic



hic Taruiſij impreſſi ſunt, anno ſcilicet 1479. ſtatim cucurri ad 17. caput primi libri, &, teſtor Deum, ita typis claro charactère expreſſum comperi. Sequitur Decima Regio Italiæ Adriatico mari appoſita, cuius Venetia, fluuius Silis ex fontibus Tauriſanis: Oppidum Altinum, flumen Liquentia, ex montibus Opiterginis, &c. quod ſimiliter deinde apud Hermolaum Barbarum in Caſtigationibus Plinianis comperi regiſtratum.

Silis autem fluuius noſter admodum ſilens, lenis, ac placidus, eſt nominandus, non Siler cum Boccatio, nec Silarus, quod flumen apud Salernum dilabitur, vt notat Volaterranus; neque Silus, qui eſt Perſarum fluuius ex Suſianis deſcendens montibus, vt idem Boccatius regiſtrauit; ad ſupradictorum autem fluuiorum propoſitum non ab re certè futurum puto, ſi iſtic deſcripſero elogium elegans, atque arduum hic Taruiſij poſitum ad D. Thomæ portam Ciuitatis, marmoreo exciſum lapide, atque aurato, quod tale eſt:

NOVAM A' BVTINICA AD SILIM VRBIS AMPLIATIONEM FOSSA MVROQ. CIRCVNDATAM TOT TVRRIBVS CREBRISQ. PROPVGNACVLIS MVNITAM PORTAM MIRAE STRVCTVRAE, PERSPICVIQ. CVLTVS CVM VIA STRATA EXCITATAM ALTERVM QVOQ. VLTRA BVTINICAM INCREMENTVM EISDEM ERECTVM MVNIMENTIS. EO PAVLI NANI GEORG. F. AVGVS.

X PRIN-

PRINCIP. NEP. PRAET. PRAEF. Q. SOLERTI STVDIO, ET CVRA, VT HORVM OMNIVM INTRA ANNVM PRINCIPIVM FVERIT, ET FINIS.

## VADE VIDE VIATOR.

A. *De his ambobus fluminibus per ſex alueos noſtrorum commodo vrbem interſecantibus crediderim intellexiſſe Petrarcam, quando libro ſecundo Senilium dixit amico ſuo, inter Patauina, Teruiſinaq; flumina, ſinumq; intimum maris Adriatici te præſentiſſimum habeo.*

B. *Ita ſanè; De Plaui autem, quæ, & Plabes indiſcriminatim dicitur, vti etiam Ioannes de Certaldo, quando illius latos terminos his verbis poſuit: Plabes fluuius Venetorum eſt inter Forum Iulij, & Taruiſium ciuitatem, quam quidem Blauam dixit Cardanus libro ſecundo de ſubtilitate, forſan reſpiciens ad colorem, qui cæruleus eſt, ſi aquam, vbi profundior eſt alueus, contemplemur: Vt omnium noſtrorum fluminum ex marmoreis monumentis mentio huc transferatur, cum circa marmora præſertim verſemur, qualemcumque habemus memoriam in pulchro lapide ſuper Epiſtylio Pontis iuxtà radices Templi D. Mariæ in Bethleem, ita magno quondam ciuitatis pauore litteris excitatam.*

AN. MDXII. PLABES FLVVIVS CVM INSVETO, ATQ. QVODAM MODO PRODIGIOSO EXVNDARET INCREMENTO BVTINICAM AMNEM



AMNEM INFLVXIT, VRBEM INVASIT, PONTEM SVBVERTIT. HIERONYMVS PISAVRVS PRAETOR, NE MAXIMIS INTENTVS, HAEC ETIAM MINORA NEGLIGERE VIDERETVR. RESTITVENDVM CVRAVIT.

*Iam autem ſileant noſter Silis, Plauis, ac Butinica, & ad inſtitutum iterum reuertamur. Quocirca non eſt ignorandum primò illud, quod ex monumentis, iis, qui accurate legerint, ſit conſpicuum: ſuperioribus nempe ſæculis circiter Eccelinorum, ſeu Caminenſium tempora fuiſſe paſſim per vniuerſum territorium Taruiſinum vltra octuaginta vallata Caſtra diuerſorum nobilium Taruiſinorum tutiſſima propugnacula: quæ ſanè ſingillatim omnia tradere, & quòd ex iis multa pluribus familiis nomina indidère, ſicuti uerissimum, ita longum eſſet, atque à propoſita breuitate alienum non parum: Porrò noſtra Ciuitas incrementum continuè ex nobilium Oppidanorum, aduenarumq; conuentu, atque ex magnificis, operoſiſq; ædificiis priuatis, ac publicis fuit conſecuta, dum præſertim peſſimus Hunnorum Rex Athila miſeram tūc Italiam deuaſtaſſet, dum inquam conciderent Aquileia, Concordia, Altinum, bona ſiquidem pars Altinatum Ciuium iſtuc commigrarunt, & ad partem Vrbis Auſtralem ſecundū Silim recepti, Portæ illi Vrbis, ex qua per Terraleū Venetias verſus tendimus nomen peperère, vt nō difficilè cōprehēdi poteſt ex hoc marmore penes illā cōſtructo.*

FRANCISCVS MAVROCENVS V. C.
NICOLAI FILIVS PRAETOR PRAEFECTVSQ.
TARVISIO CVM PRAEESSET MVRVM A'
SILI VSQ. AD PORTAM ALTINIAM FE-
LICITER AD HANC MOLEM DVXIT.
M D XXIX.

*Altinas etiam fuit D. Liberalis à ſancto Heliodoro illius vrbis Epiſcopo in eadem ciuitate edoctus, vt ſcriptum reliquit Petrus Natalis Epiſcopus Equilinus in ſanctorum vitis explicandis, & alij, qui ſanè D. Liberalis vrbem noſtram Deo auſpice ab inimicorum prælijs non ſemel apparitionibus admirandis tutatus, meruit in foro publico ad arcum ſchalarum magni Prætorij cum his litteris marmorea ſtatua decorari.*

## PATRIAE PROTECTORI.

*Corpus autem ipſius ſancti Viri, ne Epitaphiorum obliuiſcamur, in Cathedrali baſilica conſtitutum ſumma deuotione miris oblationibus à nobis omnibus veneratur; vt & collegium illius nomini ſit nuncupatum, à quo grammaticæ profeſſor, nunc Laurentius Chryſaorius de latinis, græciſq; litteris optimè meritus & domicilium, & ſtipendium, vt pauperum Taruiſinorum filios inſtituat, recognoſcit; ad eius Sancti cadaueris arcam marmoream huiuſmodi carmina extant impreſſa.*

HIC



HIC TEGITVR SANCTI LIBERALIS
NOBILE CORPVS,
QVI TARVISINAM PROTEXIT
AB HOSTIBVS VRBEM.
SEMPER QVISQVE SVAS NON
CESSET PROMERE LAVDES.

*In horum omnium ſupplemento liceat iſtuc transferre marmoreum monumentum in eadem Epiſcopali Eccleſia penes ipſius B. Liberalis aram poſteriùs conſtitutum, & ob lucis penuriam fermè abſconditum: quod licet longius, non tamen iniucundum lecturis, ciuibus noſtris præſertim, futurum puto.*

D. C.
LIBERALI ALTINATI EQVITI
TAR. PATR. BENEMERENTI:
CVIVS DVCT. AVSPICIISQ. SEXCENTI
EX ARIAN. PERFIDIA DVM CHR. PRAEDICARET. DIVO INFESTISSIMI ALTINVM
COLENTES SVB FIDEM CHRISTIANAM:
PONT. HELIODORO REDACT.
PRAND. IMPERATORIS ANTER. NEPOS
VALETVDINE GRAVI RECEPTVS.
COECI ARIDI CLAVDI HYDROPICI PARALITICI CXX. EQVITIS ORATIONE DVM
CARCERE VINCTVS AB IDOLATRIS TENERETVR, A LANGVORIBVS EREPTI.
CIVITAS TAR. AB HOSTIVM
IMPETV PROTECTA

ANTIST. POPQ.

QVIS HOMINVM HAEC NEGASSET IMMORTALI PATRONO? CVI MORTALI SERVO VIGILIIS, ET ORATIONIBVS SINE CIBO POTVQ. SINGVLOS DIES PRAETER DOMIMICOS, IN QVIBVS EVCHARISTIAE MYSTERIVM SVMEBAT AGENTI, ET AMPLISS. PATRIMONIVM DESIDERIO CHR. PAVPERIB. IMPARTIENTI CHR. DEVS NON SE VIDENDVM NEGAVIT.

L. V. F.
M C C C C L X X V.

*Qualis*



B. *Qualis autem, quantaq; his temporibus reddita fuerit noſtra ciuitas, uideat quiſpiam, & dubio procul admirabitur vrbem circuitus trium milliariorum, moenia lata, & firmiſſima, foſſas cum antemurali ambientes vrbem vniuerſam tutiſſimas; duo ſiquidem flumina Silis, & Butinica ſunt eum in modum diſpoſita, vt ſi fors tulerit, inimicos valeant per irruptionem vltra mille paſſus obruere agrum circiter inundando: mirabitur inquam armamentum tormentis bellicis, aliiſq; id genus præſidiis munitiſſimum: ædificia ſuper iiſdem fluuiis infra mænia ad puluerem pyrium pro bombardis conficiendum operoſa, pariter alia ad vallaniam, ſic vocant puluerem ex capitulis iuglandium pro coriis condiendis, alia ad fullonum induſtriam exercendam, ad artes inſtitorias abſoluendas, ad acuenda, illuſtrandaq; omnia cum bellica, cum alterius cuiuſcunque ordinis inſtrumenta, præterea ad telluris genus conterendum pro vaſis illis teſtaceis albiſſimis, quæ uocant maiolica, confingendis, ad thermas refrigerandas, ad pinſanda aromata, ad molenda grana omnis generis refertiſſima perinde, ac velociſſima: nec vſus paruarum nauium, atque adeo cymbarum cuiuſque generis tendentium Venetias commodè, & remeantium continuatis itineribus modicam merebitur contemplationem. ſuberit mirari fontes ſcaturientes innumeros chriſtallo ipſo lucidiores, miræ bonitatis per vrbem, per oras diſpoſitos, atque opera non aſpernenda exornatos: de quibus memini me ante hac apud Franciſcum Petrarcam Epi-*

*ſtola-*

*ſtolarum ſuarum 118. ſic legiſſe: Erit & Taruiſium fontibus, fluminibusq; circumfluum domus, Emporiumq; lætitiæ: pariter pontes marmoreos pilis honorificis exornatos, Exedras, quas Baſilicas vocat Palladius, atque atria publica ſubterlabentibus fluuis ad captandam auram fabricata, excelſas Turres, Horologia admiranda, elegantiſſima viridaria, plateas publicas ad mercatus uarios, ad nundinas exercendum, ad conueniendum, ad deambulandum, ædificia nobilium domuum magnificorum Ciuium maximi ſumptus, vltra Epiſcopium, & Prætorium, admirans quilibet obſtupebit; adhuc autem magis, dum ſuperba aulæa, ſupellectilia operoſa, vaſa magnifica, & pretioſè celata, ſplendida veſtimenta, refertas cellas frumentarias, vinarias, olearias, penuarias, Equis pluribus maximi pretij longa exornata Equilia, cum carpentis, quadrigis, aliiſq; id genus curribus ſerico, atque auro ſpecioſis, frequens vtriuſque ſexus famulitium, & longos ordines adminiſtrorum fuerit introſpiciens admiratus: &, quod maximum eſt, Matrum, ac Virginum decorem, & pudicitiam, illarumq; comptiſſimos, & pretioſos ornatus. ad hæc templa ornatiſſima circiter quadraginta: Magnum Xenodochium, vt parua alia non pauca prætermittam, cui in Italia ſimilia ſunt admodum pauca: præter id enim, quòd in illo ſunt omnes ferme artes incolis ad victum, veſtitumq; neceſſariæ, ipſius prouentus annuus vltra vigintiquinque millia aureorum certè tranſcendit, qui fere omnes cura admirabili ad pia*





*omnis propemodum generis opera perſoluenda diſtribuuntur: Montem Pietatis ad inopum, miſerorumq; indigentiam paruo impendio ſubleuandam, cuius pecuniæ cum propriæ ex eleemoſynis ei largioribus erogatis, cum aliorum vel depoſitæ, vel ad mutuandum accommodatæ circiter centum aureorum millia dubio procul exiſtunt: inſtitutum ſanè, licet longo interuallo, poſtquam expulſi fuerunt Hebræi ab hac ciuitate, atque ne vlterius prauo fœnore uerſuram facerent à Veneto Senatu uetitum: quinimo ne vltra diem tertium Iudæus aliquis hanc ciuitatem valeat habitare magno marmore aureis litteris ad fori medium in Prætorio ad perpetuam rei memoriam longa oratione publicè regiſtratum. Ecquis propiores vrbes admirandas, Venetias ſcilicet propter opes omnis generis, Patauium propter ſtudia cunctorum ordinum, finitima Caſtra deliciis affluentia, nõ longinquos montes, apricas valles, propinquos colles virentiſſimos, ac vberrimos, vineas dulcioris Bacchi liquoris feraciſſimas: Monticulum, ſeu Montellum, ſyluam ita vocatam, innumeris, ac proceris quercubus vſquequaque munitum, de quo ſic cecinit in ſermonibus Augurellus:*

Hæc tibi frondoſa ceſſans ſub rupe canebam
Montelli Nympharum auido gaudẽtis Amore.

*Vt Venetorum triremibus, atque omnis generis nauibus extruendis materia hinc abundè ſuppeditetur?*

*Præterea campos totius vocatæ Campaneæ de indu-*

*ſtria factos irriguos, ac cultiſſimos, villas caſis, domibus, & palatiis magnificis refertiſſimas aſpiciens, permeans, ac contemplans non protinus indignabundus dicet paucas in pulchra Italia regiones huic Taruiſinæ compares inueniri? Quiſnam agri Taruiſini fertilitatem, ac copiam granorum, vini, fructuum omnis generis, lignorum ceduorum, laterum figuræ cuiuſcumque optimam ſpeciem, nedum noſtris, ſed Venetorum magis, ac Patauinorum, aliorumq; vſibus continuè præparatam, calcis albiſſimæ, tignorum, aſſerum, ferriq; copiam Plaui à propioribus, veluti & à remotioribus montibus deferente: ad hæc volucrum ad alendum, atque ad delectandum, piſcium ſummæ bonitatis, magniq; pretij, armentorum, fœcundarumq; pecudum, paſcuorum pinguium, ferarum ſyluestrium, cicurum, altilium, & id genus aliarum vtilitatum, adiuncto felici Climate, aërisq; ſalubri temperie, cogitans, ad iſtuc commigrandum, illumq; inhabitandum allectus, dum liber fuerit poſthabitis paternis laribus non protinus condeſcendet? Porrò ciues magnificos, ac opulentiſſimos, Equites illuſtres, ac ſplendidiſſimos, Doctores legum, & Phyſicæ celeberrimos, ordines mirabiles, & collegia, infra ciues pacem, concordiam, atque vnionem, erga Excelſum Dominium Venetum maximam fidelitatem, eiusq; erga nos indicibilem dilectionis affectum, porrò aduerſus aduenas, & peregrinos Amorem, ac Charitatem, ſummam erga pauperes pietatem, in Deum, Chriſtianaq; dogmata religionem, propenſionemq; conſpicuam,*

*ſpicuam,*



*ſpicuam quiſnam oculis, atque animo pendens admirabundus non proferet paucas admodum in magna Italia, imò in vniuerſa Europa Taruiſinæ Ciuitati ſimiles reperiri? Quapropter iuremeritò antiqua hæc ciuitas noſtra dixerat in ſtatutorum prohœmio, præter alia, hæc ſubſequentia, ſcilicet. Aſsurgens ergo quæ fui, & ſum dotata Taruiſina ciuitas multis chariſmatibus gratiarum, Deo gratias refero inceſſanter, qui nauiculam meam in tempeſtatis procellis diutiùs agitatam ſubitò, & ſine pœna reduxit ad perfectum ſalutis portum pariter, & tranquillum. Vos alloquens meos Ciues, & ſubiectos, Nobiles, & plebeios, vt ſimul pacifici vos viuatis ſuo ſtatu, & honore vnuſquiſque contentus. Florui etenim quando Conſulibus, & Poteſtatibus, ac Ciuibus bonis, & prudentibus edotata perfulxi, ſuum ſtatum, & facta poſtponentibus propter meum commodum, & augumentum: Tunc Veronæ, Vincentiæ, Feltri, & Belluni, & in partibus Patriarchæ, qui Furlanorum terram regebat cum pactis quibuſdam dominabar. Quæ dicor caput Marchiæ Taruiſinæ fulcita nobilibus ſeptingentis, & populo magno, multùm plena diuitiis, & moribus decorata. Et ſi quando meorum natorum perfidorum de Romano ſceleribus bonis populis, & diuitiis fuerim denudata, virtutum veſtibus reaſſumptis, & quamquàm aliquorum poſtea filiorum cupiditate grauata, nunc per Dei gratiam in meæ ſedeo ſolio libertatis, Vos admonens, & quæ ſequuntur.*

Y 2 *His*

A. *His omnibus vſqueadeo lætus exhilaror, vt niſi eſſem Taruiſinus; patriis quibuſcunque deſpectis laribus, reiectis, ac derelictis protinus iſtuc, vt Taruiſinus fierem, quemadmodum fecerunt tot, ac tanti ſapientes viri, cum omni ſupellectili, cumq; omni familia commigrarem. Cæterùm aliud nunc poſtremum omnium, ne tædio te diutius afficiam percontando, de illuſtri hac ciuitate noſtra ſcire vellem, quonam tempore* CHRISTVM *Redemptorem noſtrum illa inceperit venerari: atque illud præterea, unde nam in publicis inſigniis, ac vexillis tanta fuerit facta mutatio, vt Crucem albam cum duobus ſyderibus in purpureo campo maiores noſtri eleuarint, cum antiquitus nigrã Turrim excelſam tribus grandioribus pinnaculis exornatam in albo vacuo præſe ferrent, vt videre eſt in porticu illo Equitum antiquiſſimo, in Exedra publica, inq; aliis locis multis ſpectantibus ad Rempub. Taruiſinam.*

B. *Quantùm in Religione Chriſtiana fuerit antiqua ciuitas noſtra iam audias, & dignoſcas eam ante mille, & quingentos annos* CHRISTI *Domini patrocinium ſuſcepiſſe, neque vnquam poſtea à ſancta fide catholica defeciſſe, ſed nec etiam uel in minimis titubaſſe; illis nanque temporibus, quibus Patauina Ciuitas à Beato Proſdocimo primo eiuſmet Ciuitatis Epiſcopo ex Antiochia ad hoc miſſo à Beato Petro Principe Apoſtolorum, fuit baptizata poſt annos à morte Redemptoris noſtri circiter vigintiquinque, ſubinde ab eodem ſanctiſſimo Epi-*

*ſcopo*



*ſcopo Altinum, Opitergium, Concordiam, Taruiſium, Aſylum, Bellunum, Feltrium, Vincentiam, Atheſte, Acelum, atque alia plura loca fuiſſe ſacro baptiſmate Deo Optimo Maximo conſecrata: cuius memorandi facti veritas ſcripturis omnibus, & noſtratibus, & Patauinis conſpicitur regiſtrata: diffuſiùs autem id legitur in noſtris annalibus, hunc ſcilicet B. Epiſcopum Taruiſinos tunc in ſacris dogmatibus, ac in Euangelica fide inſtruxiſſe, eosq; ad aquam Silis profluentem deuotiſſimè baptizaſſe, cum priùs ſuæ ſanctitatis ſigna ferens Euphroſini Equitis filiam captam luminibus, ſigno crucis iniuncto ab oculorum tenebris liberaſſet, atque Theodoram Comitis cuiuſdam Taruiſini coniugem à morbis incurabilibus miro omnium ſtupore ad eius priſtinam ſanitatem reſtituiſſet: propter quod miraculum eius vniuerſa familia, ad numerum centum duodecim, fuit ſacro baptiſmate initiata, vt notat Iacobus de Voragine, & tot alij in ſanctorum Catalogo, ſiue, vt dicitur, Legendario: atq; inde videre liceat etiam ante mille, & quingentos annos illuſtres Comites Taruiſij, ac generoſos Equites extitiſſe, vt ex illis vnus, nec forſam maior, vltra centum, ac decem aleret familiares: Quo ſanè temporis curriculo, dum Taruiſini euaderent Chriſtiani, à ſanctæ fidei perſecutoribus martyrio plexi fuère Beati Theoniſtus Altini Epiſcopus, Thabra, & Thabrata Diaconi, tempore ſcilicet Theodoſij primi Pontificis huius nominis, quorum quidem Beatorum Martyrum corpora ad hu-*

*mero*

meros obtruncata aduerſus Silis vndas diuino miraculo eò cum Cymba deuenerunt, ſteteruntq́;, vbi nunc eſt Templum D. Theoniſti ſecus flumen Silis hic Taruiſij operoſiùs fabricatum.

Ad hæc inſuper conſtat, eo tempore quo Beatus Petrus Apoſtolorum caput ab acerrimo Chriſtianæ fidei inſecutore Nerone fuit cruci affixus, hunc B. Epiſcopum Proſdocimum hic Taruiſij commorari, & tunc temporis Eccleſiam, quæ deinde fuit Cathedralis, ædificare, quam quidem Beatæ MARIAE Virginis nomine nuncupare iamdudum animo conſtituerat, quo ſanè temporis interuallo, cum Diuina reuelatione ei eſſet mors B. Petri Apoſtoli nunciata, ipſam Baſilicam ſub ipſius ſanctiſſimi Pontificis nomine protinus conſecrauit: A quo quidem temporis interſtitio Taruiſini ciues Redẽptoris Chriſti ſanctiſſimam Paſſionem voluentes animo, vexillum aliud erexerunt, quod Chriſtianum indicium præſeferret, nempe albam Crucem cũ duobus ſyderibus in rubeo ſpatio poſuerunt, non aliter atque Patauini rubram Crucem cum duobus aſtris in candido campo priùs conſtituerant, ambo & CHRISTI Domini paſſionem ſanguinolentam, & eorum candidam, ac depuratam fidem, atque ueluti polorum aſtra firmam in cœlis fiduciam atteſtantes.

A. Te non ignorare crediderim penes Diui Petri Eccleſiam Cathedralem, hunc Sanctum Epiſcopum Proſdocimum in ſacello illo antiquiſſimo à nobis ſummo iure, ſummoque ſtudio venerari, vbi ad oſtij limina

na



na huiuſmodi titulus primis illis temporibus deſcriptus fuit.

### SACELLVM DEDICATVM BEATO PROSDOCIMO, QVI AD CHRISTI FIDEM POPVLVM TARVISINVM CONVERTIT.

B. Scio equidem, ſed iam ſatis ſuperq́;, & vltra quàm aliquis expectaſſet circa noſtræ Vrbis primordia, ampliationes, atque ornamenta euagati, ſi lubet, paulum quieſcamus.

A. Et id quidem gratius, namque ſic mihi dabitur ocium hæc omnia à me ſumma cum animi delectatione percepta attentiùs ruminandi, eaq́; memoriæ meæ promptuario diligentiùs commendandi. Verumenimuero niſi tibi afferre tædium dubitarem, fabellam quandam, ſeu inuentionem metamorphoſeam maximè accommodatam huic ciuitati cum eius fontibus, ac fluminibus intus, & extra in præſentia recitarem, quam legere memini in ſecundo libro Hypnerotomachiæ Polyphili, iamdudum ante annos CXIIII. Taruiſinis typis expreſſæ; quæ tametſi paſſim, & fuſiùs, quàm hic locus poſtulet, aliaq́; lingua tradatur, ſermonis noſtri inſtitutum morem nihilominus obſeruabo.

B. Non grauatè amabò hæc, qualiacumq́; ſint, abs te audiam, perinde atque tu quibuſlibet à me recitatis commodas præbes aures, eò magis quòd exinde aliquid

quid

quid honorificum de vrbe noſtra me expiſcaturum con-
fido.

Et licet interdum miſcere hæc ſeria ludo.

A. Ordior igitur. Dum priſcis illis temporibus Romani
totius fermè orbis imperio potirentur: inter illos ſtrenua
erat, ac generoſa Leliorum familia: ex qua Proſapia
oriundus Lelius Silarus vir & ore, & opere glorioſus,
cum præ rebus optimè geſtis à cunctis ciuibus amaretur,
ad eius merita aliquo gratitudinis indicio compenſanda,
Electus, miſſusq; fuit Conſul, & Dominus in regionem
Venetiæ, Marchiam Taruiſinam à Taurinis montibus
nuncupatam, ibi autem pro tempore imperitabat quidam
Regulus cum coniuge, & filiis Titus Butanichius appel-
latus, coniux verò Rhoa Pia, filij mas quidem Calia-
nus, fœmina verò Triuiſia Calardia Pia: huius inquam
ſpecioſiſſimæ filiæ Amore captus Lucius Silarus, eam pro-
tinus cum magno agrorum circuitu dotis nomine in vxo-
rem eſt conſecutus, cum qua ſanctè, ac pacificè vitam
ducens nobiliſſimam, ac copioſam propaginem filiorum
ſuſcepit: Ex quibus primogenitus Lelius Maurius fuit
nuncupatus, deinde L. Narbonium, L. Muſiliſtrium,
tum L. Alcyonium, ac demum L. Tipulam ſuſcepit: in-
ter filias autem priorem habuit Murganiam, tum Quin-
tiam, deinde Septimiam, Alymbricam, Aſtorgiam, &
poſtremò Melmiam: Quibus elegantiſſimis filiis pa-
rentes gloriabundi collætabantur. Sed heu mihi, quis



nam crudele fatum, volubilemq; fortunæ rotam inno-
xius, ac expeditus poteſt euadere? Euènit etenim, ut
Murgania, cum vſque adeo Pulchra, Sapiens, ac glo-
rioſa appareret, eò dementiæ, ac temeritatis accederet, ut
ſe Veneri æmulam præſtans, à populo, magisq; à ſubur-
banis, ac agreſtibus viris Venus ipſamet Cypria credere-
tur, quapropter ad ſeptimum ab Vrbe lapidem, vbi præ-
dium, nemus, ingensq; palatium poſſidebat, Sacellum
aliquod conſtruxère, in quo poſtmodum ipſa latitans ſta-
tis temporibus, magnisq; cæremoniis ſe mentitam Vene-
rem incolis hominibus demonſtrabat: hanc nonnulli Fatã
Murganiam vocauerunt, & iſte locus adhuc Murga-
nius appellatur. Quo ſanè impio opere, ſuperbo, auda-
ci, ac nefario factum fuit, vt Dij, qui nullum malum,
præſertim illud, quod eorum derogat Deitati, impuni-
tum reliquunt, contra terrigenas adirati ad ipſius genui-
næ Veneris preces, & Templum, & falſam Deam, &
vniuerſam fermè ipſius cognationem penitus fulmina-
rent. Prior igitur de Cœlo tacta fuit Murgania, &
ipſum templum, & palatium ſimul: vbi cum plures car-
bones ex tanto incendio remanſiſſet, domus Carbonia,
vulgò Caſa Carbona ſemper locus eſt nuncupatus, ipſa ue-
rò Fata, ſeu Saga Murgania funditus à fulmine pro-
fligata dedit fonti manali locum, & nomen: pariter
Quintia, & Septimia, quæ ſecum Templariæ aderant
fugientes proximè à fulmine tactæ fontes ſimiles pepe-
rere: quo tonitru, ac fragore percitæ ſorores aliæ vlte-

*riùs ſupra urbem ad quædam constructa palatia confugie-bant, nihilominus Alymbrica prior icta concidit, ſubinde paulùm diſtans Melmia, & Aſtorchia, quæ deinde fluuiola placida peperèrunt: locus autem ædificiorum igne combuſtus Sacro Carbunculariæ uſque in hodiernam diem nomen ſeruauit: nec impunes mares homines conceſſerunt, eatenus Deorum furor debacchabatur, nam Lelius Silarus in flumen eius nominis fuit transformatus; veluti ſenex T. Butanichius cum filio Caliano, perinde atque eius antiqua coniux Rhoa pia: qui tunc temporis circa, & infra urbem commorabantur, ſic & L. Muſiliſtrius, & L. Narbonius audito tonitru longius fugientes à Diuina ultione fuère præuenti; nec alia, ſeu diſſimili ratione Taruiſia Calardia pia, dum circa domeſtica verſaretur ad medium fermè ciuitatis proſtrata fuit, atque exinde aqua fontana Calardia uocitata indeficiens ſtatim prorupit: qui quidem omnes fontes, ac flumina breuiori, quo ſibi licet, itinere ad eorum amatum, ac ſilentem conſanguineum L. Silarum perpetuò illachrymantes deriuant: porrò illi duo filioli, qui inſontes nondum eò deuenerant arrogantiæ, ut alij, alter in volucrem Alcyoniam, alter in animalculum Tipulam migrantes continuè circa patrem Silarum fluuiales verſantur. Cæterùm Lelius Maurius primogenitus cum circa ſacra quædam funebria religiosè diſtineretur extra portam Vrbis Maniam, ubi locus conſpicuus, in quem quidem totius tunc ciuitatis cadauera efferebantur; qui ſanè in præſentem diem ſeruauit nomen, vulgò enim dicitur alli Mani, ubi etiam nunc vetuſti illius templi antes, ſeu capitellum perdurat, ſupra quod poſtea noſtris ſæculis duas areas manus repoſuerunt, cum manium memoriam cernerent perdurare, ut manuum ratione, hinc Pataui, illinc Feltri iter monſtrantium, non autem manium, animarum inquam ſeparatarum à corpore, Deorumuè inferorum huiuſmodi nomen loco huic impoſitum eſſe à prætereuntibus crederetur. cum inquam ibi cum quibuſdam Altinatibus, qui ad Altiniam Vrbis portam commorabantur funebria quædam anniuerſaria adminiſtraret L. Maurius, diuina miſeratione, ac indulto ſeruatus fuit: Hic autem cum ſe, & parentibus, & promiſcuis fratribus orbatum cognoſceret, Deos venerans, in ſanctaq; religione continuè perſeuerans, urbem aggeribus, muris, ac ædificiis, ſicuti accitis vicinis gentibus Caſtellatim habitantibus ampliauit, & dulciſſimæ eius matris memor, quæ ad ciuitatis medium decubuerat, urbem ipſam Triuiſiæ ſubinde fauſto, perpetuoq; nomine decorauit: Ex qua ſanè priſca, ut hoc addam, Leliorum familia Polia illa doctiſſimi amaſia Polyphili hæc omnia referens, ac declarans, ſe originē ducere demonſtrabat. modo ſi lubet ocio aliquantulum concedamus.*



B. *Vtique mihi ingenioſam fabellam expoſuiſti: in qua urbis noſtræ antiquam tangis originem, fluuiorum, ac fontium urbem, agroſq; hincinde irrigantium memoriam referes, ita ſuburbanorum quorundam antiquum locorum*

 nomen

nomen ſumma cum ratione inditum pateſacis, & omnia propemodū ipſius Vrbis Taruiſinæ præcipua manifeſtas. cum autem huiuſcemodi Amores tradideris excitaſti mentem meam; quo fiet, ut referam etiam quarundam auctoritates Virorum, qui hanc ciuitatem delitiis affluentem; oram pulcherimam, Amoreq; fino celebrem nominarunt. audias Faccium de Vbertis in Dictamundi cantu 2. tertij libri.

*Noi trouiamo Treuigi nel camino,*
*Che da chiare fontane tutta ride,*
*E dal piacer d'Amor, che quiui è fino.*

Franciſcus Petrarca etiam ita cecinit.

*E la bella contrada di Treuigi*
*Ha le piaghe ancor freſche d'Azzalino.*

Sed ad harum complementum delitiarum, aliis prætermiſſis, ſat erit recenſere illum celebrem Amoris ludum Taruiſij habitum anno Domini MCCXIIII. de quo tot hyſtoriographi memorarunt: præſertim Sabellicus primæ decadis libro octauo, Ioannes Candidus Aquileienſium libro quinto: clariùs autem, fuſiùs, ac elegantiùs Scardeonius Antiquitatum Patauinarum libro tertio claſſis tertiædecimæ, vbi de Paulo Sermeolio verba facit: ſed adhuc clariùs, & ſingilatim magis Andræas Reduſius de Quero in eius hiſtoria, ut qui erat Taruiſinus, & rem accuratiùs ſcriptam, ſeu à patribus relatam accepe-



acceperat, cuius ſanè uerba mihi liceat hic in fine huius quarti ſermonis nunc regiſtrare. Anno MCCXIIII. mortuo Innocentio III. Honorius III. coronatur Vrbis Epiſcopus. hoc quoque anno MCCXIIII. die Paſchæ multum & ante, & poſt per dies octo, dum Ciuitas Taruiſina cunctis chariſmatibus gratiarum omnem excelleret Ciuitatem Marchiæ Taruiſinæ concepit ſuapte celebre, & inauditum feſtum in loco Spinetæ de extra propè Taruiſium celebrare, ad quod glorioſiùs celebrandum per proprias litteras, & proclamationes pub. quoſcumque milites, proceres, & barones, ac nobiles partium circumſtantium per omnem Marchiam, & Lombardiam, ac Venetias, cum eorum Dominabus, & alijs pulcherrimis Domicellabus benigniſſimè inuitauit, & canacula grandia ſtrata in terra, & extra vrbem parauit ad vſum dominorum, dominarumq; ſeruorum, ac iumentorum, vbi interfuerunt milleducenti nobiles cum dominabus 360. venientibus de Venetiis, Foroiulio, Padua, Vicentia, Veronaq;, ac Feltre, & Ciuitate Belluni, abſque familiaribus, & alijs popularibus, qui omnes in ſumma fuerunt, 5640. quibus per Taruiſinos, & equis ſuis factæ ſunt expenſæ per dies octo, intra quod tempus omnia collegia, & artes Taruiſij ſeſe nouis veſtibus veſtiuère iuxta condecentia prædictorum: & fabricato quodam Caſtello de Lignamine, illud fixere in medio Spinetæ citerioris munitum varis, griſeis, purpura, cendatis, ſamitis, & vticellis, ſcarlatisq;, cum baldechinis ac armeni-

armeninis, coronis, atque aureis, & infinitis griſolitis, & iacinthis, topatiis, ſmeragdis, gemmis, & margaritis, & omnis generis ornamentis, quibus dominarum capita, vt ab ictibus tutiora, ornari ſolent: & ad huiuſmodi Caſtrum tuendum omnes pulcherrimas Dominas tam coniugatas, quàm Domicellas, & Virgines intrò poſuerunt, & clauſo additu proclamatum eſt bellum inter dominas, ac nobiles ad extra expugnantes, quorum caput fuit ſtrenuus miles D. Paulus de Sermedula Paduanus, nec expugnabatur, ſiue tuebatur aliis bellicis inſtrumentis, niſi pomis rancis, dactylis, muſcatis, tortellis, piris coccianis, roſis, liliis, balſamo, aqua roſacea, ambra, camphora, cardamomo, cynamomo, cariophillis, & melegetis, ac ſmegmatum redolentium generibus quibuſcumque: dumq; talibus ſe tuerentur Dominæ, & Nobiles impugnarent: accidit quòd quidam Nobilis Venetus habens vexillum pulcherrimum B. Marci in manibus, vt illud pridem Caſtro imponeret, dum nobilis quidam Paduanus præire acceleraret, illum toruo oculo inſpexit, ex quo creuit indignatio, & vexillum confractum, de quo aſtantes Veneti non modicum doluere, & procedente tempore inter eos matrimonia ſunt prohibita, & conuerſationes populorum, & inimicitia ſuborta eſt capitalis. cæteris verò diebus per ante octauum armiluſtra, & torniamenta viriliter celebrata ſunt, nec minus choreæ, quibus plurimum vacant Taruiſini. hæc ille. iam igitur tecū & Ego aliquid negotij expediturus paulum conticebo, ſi priùs tibi porre-

porre-



porrexero alterum monumentum, quod antiquitatem huius urbis teſtetur, aliquorum nempe regiſtrum marmorum, quæ per oras Taruiſij noſtri ſpatians obſeruaui.

A. Accipio hæc hilaris, non aliter atque iugalis hilarè dilectam colligit ſponſam, quæ vtique & oſculari, & legere minimè prætermittam, quibus lectis Ego pariter hæc omnia penſiculaturus, æquo, libentiq; animo aliquantulum conquieſcam.

Antiquorum quædam ELOGIA TARVISII in variis marmoribus conſtituta.

In D. Mariæ Maioris vicinia in domo Federicia.

ISID · REG ·
L. PVBLICIVS
EVTYCHES
MVN. TAR.
LIB.

---

In iiſdem ædibus.

IVLIA. P. L. MELAENIS
SIBI. ET
IVLIAE. SAMATI. FILIAE
DISINIAE. PRIMAE. MAT.
P. IVLIO. Ɔ. L
ABASCANTO
SEQVANAE. MATRI

In

*In pulcherrima Columella, quam Hieronymus Bononius domi ſuæ in ſacroſanctæ Antiquitatis honorem diligenter, dum viueret, aſſeruabat, ut in eius Antiquario conſpicitur regiſtratum.*

SILVANO
AVG
IN HONOREM
M. TROSI
DAPHNI
IIIIII VIRI
ET M. TROSI
CISSI LIB.
M. TROSIVS
MODESTVS
D. D.





*Ad plateam Sancti Andrææ in pila domus Delphiniæ.*

ACILIAE
C. F
SECVNDAE
T. HELVIVS. T. F. SALINATOR
CENTVRIO. LEG. VII

---

*In domo Solica.*

M. S
VLPIAE
M. F
MACEDONIAE
VLP. MACEDONA
ET MAGN. SEMNVS
FILII

---

*Ad pontem Oliuium in domo Serrauallia.*

C. TERENTIVS. Ɔ. F.
CHILO. V. S. F.

*Ad D. Stephani in domo Zucchellia duo marmora elegantiſſima.*

L . P O M P O N I V S
E X T R I C A T V S
V . F . S I B I . E T . S V I S
E T . C . O P P I O . V I V I A N O
A M I C O . B . M .
I N . F R . P . V I .
I N . A G . P . V I .

D . M
L . B A E B I O
V I N D E M A T O R I
B A E B I A . S E C V R .
P A T R I . B . M .

*In muro horti Rholandelli ſuper angulo iuxta flumen.*

G A N D E N I O C . . .
. . . L E G I O S E C V N D . .
. . A N D E N I A . . C . F . . .

*Fruſtum lapidis ad Forum Præfecti.*

-- A M M I A --
-- O R E I V S -

*Prope*



*Prope Forum Prætorium in Turri Ruſſinionia marmor decurtatum tranſuerſè poſitum.*

. . . . . HONOREM DECVRIONATVS
QVO EVM DIGNVM IVDICAVERAT POST
FINITAE MORTALITATIS EIVS EXCESSVM
TRANSFERRET IN M.SAVFEIVM ET PVDENTEM
PROXIMVM ADFINEM VT HABERET ET PRIS-
CVS IN ILLA SEDE PERPETVA RELICTIS TAN-
DEM NIMIAE INFIRMITATIS DOLORIBVS
HONORATO SVO ADFINE SPLENDIDVM
PVBLICAE PIETATIS ADFECTVM ET PARENS EIVS
QVI AMISSO VNICO FILIO NIMIO MAERORE
GRAVITER ADFLICTVS EST TAM SAEVI LVCTVS
PERCIPERET SVBLIME SOLATIVM INTERVENTV
. . . . . . . BENIGNISSIMI DECRETI
OCTAVIAE T. F. SERENAE OPTIMAE CONIVGI
M. SAVFEIVS PVDENS T. SAVFEIVS SEVERVS
SAVFEIO ET MONTANO FILIO ANNOR. III
MVLVIAE T.F.SEVERAE SANCTISSIMAE VXORI
VIVI FECERVNT

H . M . H . N . S .

IN FR . P . XXXIV . RET . P . XXXV

*In eadem Turri paulò altiùs exeſus lapis.*

M N A V O N I O N ---
C — — — R .

Aa 2 *Ad*

*Ad D. Stephani in domo Bethignola ſecus hortos in quadrato marmore ſexquipedali altitudinis trium pedum.*

LIBERO PATRI
P. CASSIVS. Q.
CLA.
LONGINVS.

*Ad*



*Ad Rhoam in domo Bononia olim Hieronymi Poetæ domicilio hæc ſubſequentia.*

EX LIGVSTINO SEX. FF
LEGION. XV APOLLI...
.. LIGVSTINO SEX. FF.
LIGVSTINAE SEX. FF.

---

M. VILONIO M
ANTIOCO L.
C. - A. . . S. . .
ET SECVNDAE ACO
VXORI

---

*Fragmenta.*

| | |
|---|---|
| .. ITVRO | OMIT |
| ... GVLVS | CLAV.. |
| | NO. F. C |

---

P. PAETINI
HERACLAE
INF. P. XXX
RET. P. XXX

---

*In altera eiuſdem domo ibidem fragmentum dirutum.*

NNI
.. RMEI..
.. VDIA F.
... AE. C.

*In*

*In eius horto circa excauatum marmor laurum continens.*

INTONSI SVM CVRA DEI PENEIA VIRGO
PERPETVAE PVLCHRO FRONDIS HONORE VIRENS,
QVISQVIS AMAS PHOEBVM DAPHNEM COLE, QVICQVID AMICAE
DEDITVR ACCEPTVM GRATVS AMATOR HABET.

---

*Licebit poſtremum omnium ponere Canis elogium, Feliſq; Epitaphium: alterum in Caſtro Collalti in ædibus illuſtris Comitis Iulij Cæſaris Collaltini, alterum Taruiſij in domo Zucchellia, ſi modò licet antiquis marmoribus recentia etiam, ac ferme ludicra permiſcere. aliàs autem reponam marmorum antiquas inſcriptiones, quæ in pagis Taruiſij circumquaque comperiuntur, dum ſcilicet commodum tempus ſuppetet, nec præceps occaſio tam facile præteribit. ita nunc igitur vacuum hoc impleatur.*

INTER LATRANTES QVI SVM CANIS VNICVS ARMIS,
VNICVS ET BELLO ME LIVIANVS HABET;
NEC PRIVS HVIC DONOR, DOMINI QVAM PINGOR IN AEDE,
VIVAT VT AETERNVM CVM FERITATE FIDES.

---

FELIS INFOELIX CASEVM SVRRIPIENS A CASEO CASV CRVDELI SVPER EAM CADENTE FRACTIS DENTIBVS, ATQ. OCVLIS REPENTE EFFOSSIS OBIIT.

---

FINIS QVARTI SERM.

# EPITAPHIORVM SERMO QVINTVS.

---

INTERLOCVTORES.

BARTHOLOMAEVS BVRCHELATVS,

&

ALEXANDER VONICVS.

B. O *ALEXANDER? heus, Ecquid taciturnitate adeo mirabili detineris, dum Ego has ambas Epiſtolas exaraui? ſurge iam Templum ad Epitaphia reuertentes ingrediamur.*

A. *Ego & vrbis noſtræ prima abs te relata veſtigia, & ipſius ardua omnis generis incrementa contemplans; ciueſq; quolibet tempore generoſos conſiderans*

*derans obſtupebam, ſed ad penſum nobis aliquandiu deſtitutum hilares iterum accedamus.*

B. *Extat vlteriùs infra Eccleſiam Franciſcanam procedendo, vt vides, ſepulchrum pariter, ac altare Nobilium Noſtrorum ciuium de Lancenico, altare quidem figuris, & omni ornamento aurato magnificum, atque operoſum, quale forſitan quodcumque aliud in hoc templo conſpiciatur.*

A. *Ex illo breui chyrographo apparet hoc fuiſſe opus pictoris celeberrimi Aloyſij Viuarini, cuius conſpicua opera Sanſouinus ſæpius in ſuo Venetiarum libro iuremeritò celebrauit.*

B. *Eſtò, Elogium autem monumenti legitur tale.*

FRANCISCHINO LANCENICO AVO GEORGII MEDICI FILIO, NICOLAO PATRI EXIMIO VIVENTI NEPOTES FRANCISCVS, ET DOMINICVS PHYSICI, SIBI; ET EIVS POSTERIS FECERE. MCCCCLXXVIIII.

*Hinc non morabor in recenſendis illuſtribus viris ex hac familia, & quales fuerint Medici iſti ſuo tempore clariſſimi, quandoquidem ſatis adhuc per aures hominum excurrunt eorum ſuprema merita præcipuè in tutando, atque ampliando noſtro Medicorum Collegio ab oneribus publicis immuni reddito, adeo vt quod vni Superchio Venetiis apud Seruitas erectum fuit, id ſingulis horum hominum erigi debuiſſet, nempe.*

VA-



VALERIO SVPERCHIO. PISAV. POETAE. ILL. ORATORI. MAX. MEDICO CONSVMATISS. QVI. IN. SENATV. FACVNDIA. SVA. MEDICORVM. ORDINEM AB. ONERIBVS. PVBLICIS. LIBERAVIT. VXOR. LIBQ. B. M. P. O. MDXL. DIE NOVEMBRIS.

*Perinde atque non eſt obſcurum plures huius Stemmatis, & armis, & litteris ciues eximios extitiſſe, veluti præcipuè extitit Franciſcus Lancenicus Canonicus Taruiſinus Secretarius Summi Pontificis Bonifacij IX. Robertus Iudex Orator ſua tempeſtate clariſſimus, ſicuti clariùs nunc demonſtrat Nicolaus Lancenicus, coætaneus meus, mihiq; arctiſſimo neceſſitudinis vinculo obſtrictus; quandoquidem, & Academiæ noſtræ Princeps conſtitutus ante aliquot annos ita humaniter, ita ſplendide ſeſe exhibuit, vt eius honor, & laudes, à pluribus Academicis, ac à meipſo quacunque decantarentur: qui & haſtiludiorum Eques primarius ſemper eſt cognitus, in quibus ſæpeſæpius præmia, & fauores elegantiſſimos continuè reportauit, qui & Muſicorum ſplendor, amator, ac coryphæus ab omnibus ſummis honoribus iuremeritò eſt decoratus, & (quod in illa iuuenili, ac morbidiori ætate nullis commodis, ſeu deliciis indigente, maximè redditur admirandum), vſque adeo ſacris, diuinoq; cultui addictus cernitur, vt diurnum clericorum officium ſa-*

Bb cro-

croſanctum in toto anni curriculo deuotè recitare per diem vnicam haud quaquàm hic prætermittat; Huius Egregij viri ſplendida coniux Clara de Damianis (proh dolor) hoc anno vitam commutauit cum morte, cuius inexpectatum obitum vniuerſa ciuitas, omnis iuuentus, matres omnes vt pulchritudinis, ac honeſtatis egregium ſpecimen lachrymis non intermiſſis longiùs deplorarunt; ſed quid moror teſtes aliquot in medium exhibere, qui generoſæ adoleſcentis merita præcinentes, eius repentinum obitum fuère collachrymati? latina hic referam Epicedia, ſed ſi deceret latinis ſermonibus vulgaria permiſcere, ſicuti in coniugis meæ obitum diuerſorum varia Epigrammata poſuiſſem, ita in præſentia nec minora, nec pauciora in tantæ adoleſcentis laudem à pluribus decantata hic iuremeritò recenſerem.

HIC Ego Religio canos laniata capillos
Mæſta fleo, poſtquam hæc contegit oſſa lapis,
Ilicet vt carum rapuit mors triſtis Alumnum,
Iniecitq; auidas in mea ſacra manus:
Iuſtitia interiit, latuit bonitasq;, nec vſquam
Victima grata Deo ſanguine tinxit humum,
Claram Lancenicam luget pietasq;, fidesq;,
Lætentur quamuis ſydera, terrra dolet.

CLARA ſuo clarum faciebat nomine mundum,
Clara magis clarum nunc facit ipſa polum.

Nominibus



Nominibus clara hæc claris iam tempore vixit
Clara viris, viuet clarior vſque Deo.

ANTE diem rapta eſt primo ſub flore iuuentæ
Nomine quæ Clara, at clarior ipſa fide.
Caſtus Amor plorat, Cypris flet, patria luget,
Et Silis heu multis fletibus intumuit.
Neſcius & coniux lachrymis imponere finem
Immanes ſuperos, aſtraq; dira vocat:
Heu (inquit vox) ne plangas cariſſime coniux,
Vlli etenim numquam vincere fata datur:
Pace fruor diuum ſublimi in parte relata,
Æthereæ ſedis ducimus vnde genus.

CLARIOR heu modo Clara tuum cur ſole tenebris
Liquiſti lachrymis innumerisq; virum?
Clara petis præclara poli ſic ſydera Regni,
Æternum at miſero pectore vulnus erit,
Spes erat in Clara mihi claro nomine mille
Annos te potius, Clara Miana, frui:
Claram at præclaram rapidè ipſa rapax rapuit mors,
Clara tamen Claræ fama perennis erit.
Claruit hæc viuens, moriens clarerè ſepulchro
Clara dedit, clarè viuet in ora virum.

ET genere, & forma præſtanti cui comes olim
Gratia, Muſa, lepos, ingenuusq; pudor.

 Vxori

Vxori mœſtus poſuit de more maritus
Hunc tumulum, lachrymis ſparſit, & ingemuit.

HIC tegor haud ſaxo, tegitur ſed inane cadauer,
Quod me hinc ad clarum linquo volante polum.
Quid me ergo fletis? cur tantus plangor ad auras?
Vitam flere licet? mors mihi vita fuit.

CLARA hæc clara fuit, claro illuſtrata marito,
Et decore, & facie, & nomine clara ſuo.
Claro Clara viro iuncta hæc clareſcit honore,
Nomine, tum facie, tumq; pudore ſuo.
Nomine Clara fuit, claro quia nupta marito,
Clara fuit forma, Clara pudicitia.
Clara oriens, viuens, moriens Clariſſima, namque
Virtus, forma, decus, carmine Clara fiunt.
Clara decore, pudore, valore, & honore, & Amore
Coniugis, o claro nomine digna tuo.
Clarus honos Claræ, clarus quia ſplendor honeſtæ
Formæ, tum clari ſit quia ſponſa viri.
Nomen, forma, decus, vir, virtus, ſplendida Clara
Te faciunt claram tempus in omne Deam.
Clara es tu ſpecie, Clara es tu nomine, Clara
Tu decore, es claro Clara iugata viro.
Vultu, voce, viro, verecundia vbilibet vrbem
Claram clarificas caraq; Clara Dea.

Clara


Clara vrbis noſtræ ſplendor clariſſime vultu,
Coniugio, & matrum Clara lucerna, Vale.

FRIGORE Sol ualeat, nix ardeat, ignis aquoſus
Fiat, perq; auras humida quæq; volent.
Marmora pluma velut ſaliant ſuper æthera, piſces
Per montes lictis iamq; ferantur aquis,
Terra tremat, denſetur aqua, aër ſiſtat, & ignis,
Surgat aqua, & tellus, æthera miſta cadant.
Longa dies breuior, breuior ſit longa viciſſim,
Pro lymphis fontes toxica amara fluant.
Prata ferant colubros, tingantur ſanguine flores,
Percutiat Lauros Iuppiter igne ſuo.
Quæq; Elementa ferant, tum ſtatus quiſque dolorem,
CLARA etenim cecidit, quam coluère Dei.

VRBIBVS Heſperiæ ſemper nigerrima cunctis
Nox erit, & præter tenebras animantia cernent
Ipſa nihil, rerum mater nigreſcet, & vnda,
Nubibus & nigris aër fundetur, & ignis
Obſcurus fiet, terras Aſtrea relinquet
Virgo petens cœlos, etenim clariſſima mundi
Lux Clara ad Claras diuino numine fati
Lata fuit ſtellas: res æqua pondere lance.

CLARAE, quæ obſcuro latet hoc incluſa ſepulchro,
Illectæ ante diem dulci modulamine Muſæ
Arripuère

Arripuère animam, & præcelſa ſede locarunt,
Vt regat ipſa modos, doceat quoque dogmata cantus;
Non opus eſt ergo mœſtos profundere fletus,
Immenſas ſed ob id Muſis perſoluere grates.

Hæc inquam ſunt Latina poëmata ad tantæ adoleſcentis gloriam promulgata, quæ ad manus noſtras, noſtris pariter intermiſtis carminibus, deuenerunt, cum nihilominus me haud quaquàm prætereat, præter Etruſca innumera, plura alia, & longiora fuiſſe compoſita, quæ vel non fuère ſepulchro appenſa, vel ſtatim poſita ob eorum artificium, ac elegantiam furtim ab inuidis fuère aſportata. Cæterum vt eò vnde digreſſa fuerant oratio reuertatur, non reticebo familiam Lancenicam huic pio cænobio illud, præter alia beneficia, contuliſſe, vt domiciliorum parti extruendæ, quæ ad Orientem vergit, impenſam non modicam contribuerit: quapropter inſignia Lancenica à marmore excitata in harum ædium medio beneficij non immemores grati patres conſtituerunt. ad hæc, ne quis ex Epitaphio Lancenico haud ſatis antiquā hanc familiam reputaret, ſciat alterum eſſe marmoreum monumentum intus ante fores cænobij antiquiſſimum, ac disfractum cum inſignibus gentilitiis, vbi huiuſmodi verba vix ſeliguntur.

ILLORVM DE LANCENICO.





Sed iam ad finitimum huic tumulo Epitaphium me conuerto.

ALVISIO DE PRATO I. C. CLARISS.
LIBERA CLAVDIA VXOR
CVRANTIBVS
PANCRATIO PERVCHINO,
ET ANTONIO SVGANA COMMISSARIIS.
M D X I I I.

A. Ad hæc altiùs conſtat ara ſatis ampla, pulcherrima pictura, multoq; auro affabrè facta, opus victoris carpathij pictoris Veneti celeberimi, appoſitis hinc inde inſignibus gentilitiis, penes quam talis è muro eminet in marmore dictatura.

D. ANNAE GLORIOSAE
DEIPARAE VIRGINIS MATRI
IN MEMORIAM ALVISII DE PRATO
IVRISCONSVLTI CLARISS.
MARITI OBSEQVENTISS. ATQVE OPTIMI
LIBERA CLAVDIA ARAM.
P. S. F. C.
AN. N. D. X V I.

B. Fuit hic iureconſultus ſanè clariſſimus, & ſuo tempore declamator acerrimus, quocirca & prouentibus, & pecuniis largioribus, & ſumma conciuium gratia maximè exuberabat; perinde atque Pucinus de Prato Iuriſconſultus,

conſultus, & Eques, Thomas, & alij, quorum elogia, licet ſemiconſumpta, ad D. Margheritæ, & ad D. Petri Eccleſias non ſingula lectitantur: huius Doctoris magnifica, atque inprimis deuota coniux cum fuerit ex familia Claudia, ſeu de Claudis, ſynæpeia poſtulat, vt duo hic reponam Epitaphia huius familiæ, poſteaquam nullum præſertim ad eorum ſepulchrum hic in D. Franciſci Eccleſia plus aliis frequentatum deſcriptum fuiſſe comperiatur: quorum ſanè alterum eſt infra D. Ioannis Euangeliſtæ delubrum, & pedeſtri altiùs, & ſoluta oratione inferiùs verbis elegantiſſimis explicatum. audi.

Impia te poſtquam VINCENTI fata tulerunt<br>
Hoc iuuenis CLAVDI condite ſarcophago<br>
Extinctum miſeranda parens, ambæq; ſorores<br>
Cum grege amicorum, virq; vtriuſque gemũt;<br>
Præcipue mœſti coniux afflicta BONONI<br>
Se memore lapide hoc teſte CORINA probat.

AN. MDXVI.

Humi verò, vbi veneranda hominis effigies in marmore affabrè eſt excauata, ſubſequentia conſpiciuntur.

VINCENTIO IMMATVRA MORTE<br>
PRAEREPTO IIII. CAL. MAII.<br>
GENITRICI DONATAE EXTINCTAE III. ID. MAI.<br>
NICOLAS OLIM PATER FELIX<br>
MARITVS FELICIOR.<br>
MCCCCLXXVI.

Item



Item ad pedes marmoris diſtichon hoc reperitur.

Me iuuenem primis rapuerunt fata ſub annis;<br>
Cuncta tibi cedunt. Hei mihi ſumme pater.

Penes hoc monumentum, & aliud ibidem manet huic familiæ ſic inſcriptum.

MAIORVM SEPVLCHRVM VETVSTATE<br>
CORRVPTVM<br>
VENERANVS CLAVDIVS MARCI F.<br>
RESTITVENDVM CVRAVIT.<br>
MDXVI.

Alterum Claudiorum Epitaphium, quod hic referre ſtatueram, eſt ad B. Pariſij Templi medium inſcriptum tale.

IO. ANT. CLAVDIVS CIVIS TARVIS.<br>
ET VRSINA HOSTIANA DE VER.<br>
CONIVGES,<br>
QVI MORITVRI VIXERVNT.<br>
MORTVI HIC MELIOREM VITAM EXPECTANT.<br>
M D L X V I I.

Quales autem fuère viri iſti egregij, ex ipſis elogijs fit manifeſtum, ſed magis ex veterùm, noſtrùmq; etiam memoria, quòd ſapientes ciues, ac ingenui extitère. quare neque illorum nunc ſubeat vlteriùs longior commemoratio, neque Hoſtianæ familiæ. quandoquidem ſcio de illa nos aliàs ex inſtituto plura fore collocuturos. ne itaq;

Cc priores

prioris elogij Franciſcani uideamur obliti, illorum quatuor characterum ſenſum experiar explicare, ſcilicet P.S.F.C. tametſi aliqui dicant ſic eos eſſe exponendos, poni, ſeu fieri curauit: diſiunctiua hæc mihi non ſatis arridet, quippe, quæ ſuperflua videatur, nec ſemper cum Valerio Probo interpretandum Publicæ Saluti faciundum curauit, non etenim ſumus in publicis Elogiis Imperatoribus deſtinatis. quapropter placet magis more antiquorum interpretari, Pecunia ſua, aut cum Probo, proprio ſumptu faciendum curauit.

A. Exemplum conſimile reperitur adhuc Interamnæ Oppidi Vmbriæ peruetuſti, ecce:

PROVIDENTIAE TI. CAESARIS AVGVSTI
NATI AD AETERNITATEM ROMANI NOMINIS
SVBLATO HOSTE PERNICIOSISSIMO.
P. FAVSTVS TITIVS LIBERALIS
VIVIR AVG. INTER.
P. S. F. C.

Quòd autem diſiunctiua nullo modo poſſit intelligi, clarè patet ex hoc marmore vſq; in Catalonia conſtituto.

LAVRAE AVGVSTAE SACRVM
IN HONOREM, ET MEMORIAM AEMILIAE
L. AEMILIVS MATERNVS, ET
FABIA FVSCA PARENTES
S. P. F. C.

Iſtud nihilominus uerbis expeditis memoria me legiſſe recolo





recolo Romæ in aquæductu prope Xenodochium Lateranenſe in magno lapide IMPERATORI CAESARI DIVI M. ANTONINI PII GERM. SARM. FILIO ERECTO, in cuius calce Elogij ita deſcriptum comperi.

ARCVS CAELEMONTANOS PLVRIFARIAM
VETVSTATE CONLAPSOS, ET CORRVPTOS,
A SOLO SVA PECVNIA RESTITVERVNT.

Alibi pariter, vt ſupra portam maiorem in fine Epigrammatis TI. CLAVDII DRVSI FILII ſic eſt promulgatum.

NOVA FORMA REDVCENDAS
SVA IMPENSA CVRAVIT.

B. Prætercieramus illud ſub ſcamnis fermè abſconditum marmoreum monumentum, quod ſanè cuius ſit, vel fuerit, adhuc non potui inueſtigando cognoſcere: non extat ſiquidem apud R. Patres memoria, quando vnquam aliquis fuerit ibi contumulatus, adeo ut videatur fuiſſe qui in præciſo diſticho nominatur propriæ domus & prima, & vltima gloria, licet voluerit hæredes iſtuc inferri. legas:

A. ASTRORVM CVRSV, MEDICA CLARISSIMVS ARTE
HIC ZANFRANCISCVS GLORIA PRIMA DOMVS.
H. M. H. S.

*Ego ſanè videor alphabeticas litteras recenſere, dum illos quatuor characteres pronuntio; & ,ne te morer pluribus, referens quid eos crediderim denotare, ſicut alibi etiam obſeruaui, illarum litterarum à te & exemplum, & intellectum expecto.*

B. *Duo tibi libenter honorificentiſſima proponam exempla hic Taruiſij conſtituta, alterum quidem antiquiſſimum, & Romanum in opus excelſi, ac veteris ædificij expoſitum, quod & huius Vrbis antiquitatem repræſentat: alterum verò ſatis antiquum, & Romanum ſimul, & Taruiſanum, quod noſtrorum Ciuium ſplendorem ſummum cum elegantia manifeſtat: ex quibus elogiis luce clariùs apparebit huiuſmodi ſcribendi normam, & antiquam, & celebrem extitiſſe. intellectus autem characterum, quamuis ſciam te iſtud pro aliis potius de induſtria ſciſcitari, talis eſt. illi qui ſibi, vel aliis comparabant monumenta, ſeu conſtruebant, ſi filios, aut hæredes ibi poſtmodum reponendos aſſentirentur, elegantiſſimè, & ultra Laconicam breuitatem his litteris in fine* H. M. H. S. *videlicet, Hoc Monumentum Hæredes Sequuntur, præmonſtrabant. ſin minus contenti eſſent, ut qui noluerint eorum cineres, eorum oſſa commiſceri cum alienis, ſic præſcribebant* H.M.H.N.S. *quod eſt Hoc Monumentum Hæredes Non Sequuntur, vel cum Valerio Probo, quod idem propè ſonat, Hoc Monumentum Hæredes Non ſequitur. Vnum igitur eſt exemplum antiquiſſimum in Turri Ruſſinionia fortiſſima, vt noris, ac*

*editiſſima*



*editiſſima in calle maiori ad medium fermè Vrbis conſtituta, quod etiam ponit Hieronymus Bononius noſter in eius Antiquarij libro primo. Lapis ſanè extat decurtatus paulùm ſupra fundamenta ipſius Turris tranſuersè poſitus ita, vt niſi maxima cum difficultate legi non poſſit, adeo ſuperiora quædam ſæcula deteſtanda à Barbaris Italiam occupantibus, quamplurima corruperunt, ac deformarunt antiquæ maieſtatis ornamenta, feceruntq; nos poſteros tantæ ſuauitatis expertes: vnde confiteri neceſſe eſt, nullum eſſe doctrina firmius monumentum. namque, cum ſtatuæ, cum marmorea Epigrammata pereant vetuſtate,*

Durat opus Vatum, Troiani fama laboris,
  Tardaq; nocturno tela retexta dolo.
Sic Nemeſis longum, ſic Delia nomen habebit,
  Altera cura recens, altera primus Amor.

*Vt Naſo dixerat de Tibullo, quin & de Virgilio, & de ſeipſo, atque inſuper Epigrammatario poëta apprimè decantante:*

Marmora Meſſalæ findit caprificus, & audax
  Dimidios criſpi mullio ridet Equos.
At chartis non furta nocent, neq; tēpora præſunt,
  Solaq; non norunt hæc monumenta mori.

*Quod autem de pulcherrimo huiuſmodi Epigrammate legi vix potuerit, in hac pagella conſpicias exaratum.*

. . . . . . HONOREM DECVRIONATVS
QVO EVM DIGNVM IVDICAVERAT POST
FINITAE MORTALITATIS EIVS EXCESSVM
TRANSFERRET IN M.SAVFEIVM ET PVDENTEM
PROXIMVM ADFINEM VT HABERET ET PRIS-
CVS IN ILLA SEDE PERPETVA RELICTIS TAN-
DEM NIMIAE INFIRMITATIS DOLORIBVS
HONORATO SVO ADFINE SPLENDIDVM
PVBLICAE PIETATIS ADFECTVM ET PARENS EIVS
QVI AMISSO VNICO FILIO NIMIO MAERORE
GRAVITER ADFLICTVS EST TAM SAEVI LVCTVS
PERCIPERET SVBLIME SOLATIVM INTERVENTV
. . . . . . BENIGNISSIMI DECRETI
OCTAVIAE T. F. SERENAE OPTIMAE CONIVGI
M. SAVFEIVS PVDENS T. SAVFEIVS SEVERVS
SAVFEIO ET MONTANO FILIO ANNOR. III
MVLVIAE T.F.SEVERAE SANCTISSIMAE VXORI
VIVI FECERVNT

H . M . H . N . S .

IN FR . P . XXXIV . RET . P . XXXV

A. *Hoc Epigramma, illarumq; litterarum interpretatio- memoriæ ſubminiſtrarunt meæ illud, quod iam olim legeram apud Horatium primo libro ſermonum ſatyra octaua, ſcilicet:*

Mille in fronte pedes, trecentos cippus in agro
Hic dabat, heredes monumentũ ne ſequerentur.

*Iam*



B. *Iam igitur à temetipſo his carminibus expoſitionem litterarum dignoſcis, vbi tale negatur hæredibus monumentum: neque non extremorum verborum interpretationem, ac numerorum hic colliges, vbi* IN FR. P. XXXIV. RET . P . XXXV . *namque in fronte latitudinem iuxta viam, retro, quod Horatius dixit in agro; longitudinem denotabat, exempli gratia, Mediolani ad S. Nazarium.*

L. AELIO VICTORI.
IN FR. P. XX.
IN AGR. P. XXX.

*atque in eadem vrbe ad S. Victorem.*

C. SPVRIVS SATVRNINVS
IN FR. P. XV. IN AGR. P. XV.

*Vbi vnum animaduertendum cenſeo, quòd non dixit id Flaccus, quaſi velit intelligere, vt ibi & inhumatorum filij, ac hæredes non reponerentur, quandoquidem erat vniuersæ plebi, & ſeruis omnibus libera ſepultura tam grandis, capaxq; locus, & mille pedibus in latitudine, & tercentum in longitudine, quod ſpatium, niſi fallor, paulò minus quinque terræ iugeribus continebat, cum nihilominus priuata monumenta nulla fermè tranſcendat denarios numeros, vt in propoſitis Epigrammatibus, cum in multis aliis, demonſtratur: ſed inſcriptum erat, ne ſequerentur hoc monumentum, id eſt hanc tellurem hære-*

*des*

des illius, qui reliquerat illud agri populo, terminoſq́; , ut cippus dabat, ſcilicet, ut in columna deſcriptum erat, iam conſtituerat, nempe quòd iure hæreditario non poſſent hæredipetæ hunc agrum petere, atque ex illo tumulata cadauera impiè eruentes diſſeminare. ubi & alterum animaduertendum conſpicio, antiquos nempe aliter, atque nos facimus, pro maiori parte monumenta repoſuiſſe: non etenim ſub ſtrato marmore, in quo varia illa incidebantur elogia, cadauera tumulabant, ſed infra terræ viſcera hæc uel integra, uel combuſta, & in teſtaceis uaſis recondita deponebant, memorias autem ut plurimùm in cippis, pilis, columnis, uaſis, arcubus, molibus uariis, xyſtis, porticibus, atque adeo in uariis marmoreis tabulis affabrè elaboratas conſtituebant: hinc eſt, quòd durant Epitaphia annorum millium, trecentorum autem, & ducentorum conſumpta ſunt, tum ob aliud, tum ob calcantium continuatum attritum.

A. Iſtud quidem uerißimum, & ego in ſupradictorum teſtimonium adduco uetuſtam, uenuſtamq́; marmoream tabulam inter Baias, & Anuerſam repoſitam iſtiuſmodi.





D. M.

P. ATILIO RVFO. ET ATILIAE BERONICAE VX. VIXER. ANN. XXIIII. SED PVBL. MEN. X. ANTE NATVS EST. ET EADEM HORA FVNGOR. ESV AMBO MORTVI SVNT. ILLE ACV. ISTA LANIFICIO VITAM AGEBANT. NEC EX EOR. BONIS PLVS INVENTVM EST, QVAM, QVOD SVFFICERET AD EMENDAM PYRAM, ET PICEM, QVIB. CORPORA CREMARENTVR, ET PRAEFICA CONDVCTA, ET VRNA EMPTA, ATQ. INDVLGENTIA PONTIFIC. LOCVS DATVS EST.

B. Iam ſecundum tibi illuſtre exemplum propono, quod quidem extat in nobiliori magni templi D. Nicolai parte ſub ingenti, operoſoq́; Mauſolæo litteris aureis ſic exaratum.

DEO MAXIMO.

AVGVSTINO VONICO V. C. PILEI F. IVRISC. EQVITI, COMITIQ.; CVNCTIS IN REBVS CASTE, INTEGREQ. VERSATO DE PATRIA OPTIME MERITO QVI QVOM HONOR. SVMMAM IMPLESSET, ANN. AETATIS LXIII. MENS. IX. D. XIIX. SENATORIO MAGISTRATV FVNGENS VITAM QVOQ. IPSAM TERMINAVIT. ANNO GRATIAI MCCCCXC. POSTRI. SEX. INNOCENT. VIII. PONT. MAX.

PILEVS AVRELIVS HIERONYMVS F. PIISSIMI
REVECTO IN PATRIAM CORPORE F. C.
H. M. H. N. S.

*Hic non morabor virum hunc clariſſimum, illiusq;, imò tuam illuſtrem proſapiam Vonicam prædicaturus, quandoquidem eſſet à prima exordiendum memoria, demonſtrando etiam hos Patricios antiquiſſimos fuiſſe Caſtri Vonici in agro Taruiſino Dominos abſolutos, vbi etiam nunc Caſtri reliquias, & prædia feraciſſima poſſidetis: perinde atque illos maiores tuos pluribus, atque iis admirandis nominibus, ac Priuilegiis inſignitos: ex iis plures pro Repub. Taruiſina tutanda bella geſſiſſe: quinetiam Illuſtriſſimo Senatui Veneto vti bellorum Duces, ac Præfectos exercitus vniuerſi in grauioribus prouinciis inſeruiſſe: aliosq; plurimos tum armis, tum litteris illuſtres viros & iam vita functos, & qui nunc etiam inter viuos ſe tanti ſtemmatis haudquaquam eſse indignos domonſtrant; ſed breuitati conſulens, inhærensq; pariter inſtituto unicum huc transferam Epitaphium in templo D. Margheritæ poſitum, Vonicæ gentis antiquiorem memoriam relaturum.*

LIQVIT MARMOREO BONSEMPLANS
MEMBRA SEPVLCHRO,
IPSE FVIT MAGNVS VONICI SAN-
GVINIS AVCTOR,
NOBILIS, ATQVE POTENS, FAMA
INTER SYDERA NOTVS,
QVEMQ. VIDES VOLVIT TVMVLO
REQVIESCERE IN ISTO.

*chara-*



*charactêres autem illos, qui digrediendi anſam ſubminiſtrarunt, ſic intelligi debuiſſe comprobet Epitaphium illud ad D. Petri, quod explicatiſſimis verbis hanc, circa quam verſamur, ſententiam manifeſtat.*

MONVMENTVM HOC BROCARDVS
MALCHIOSTRVS CANONICVS TARVISINVS
VNVS POST HOMINES NATOS INTEGERRIMVS
VIVVS PAVCORVM EXEMPLO SIBI POSVIT.
ID HAEREDES, AC POSTERI NE SEQVANTVR
CAVENTO.

*Venetiis autem ad D. Martialis Paulus Ciconea ita clariùs explicauit.*

HOC MONVMENTVM HAEREDES
NON SVCCEDVNT.

A. *Summa cum animi mei delectatione te iſthæc recitantem audiui, nec dubito latiùs te de noſtro Vonico ſtemmate locuturum fuiſſe, præclaros viros ſingulos recenſendo. ſed certè mecum hic non eſt locus. dum autem hanc explicationem animo uoluerem, comprehendi me aliàs hoc idem legiſse Romæ ad fanum D. Bartholomæi verbis explicatiſſimis, & quadam obſoleta ſcabritie manifeſtum. non grauabor illud Epitaphium huc conferre, quod quidem ob antiquitatis reuerentiam ſatis eſt admirandum.*

P. CVRTIVS ONESIMVS FECIT SIBI, ET CAECILIAE
FESTIVAE CONIVGI SVAE DVLCISSIMAE
LIBERTIS LIBERTABVSQ. POSTERISQ. EORVM.
HIC MVNIMENTVS HEREDE NON SEQVITVR.
DOLVS MALVS ABESTO.

 *Sed*

B. Sed & hoc aliud nos haudquaquam latere autumo, illud nempe, quod ſæpiſſime monumentum, ſeu monimentum vocabant veteres, ſæpe, ac ſæpius cum littera L, locum ſignificabant, vt in illo Patauij apud Clariſſ. Quirinum.

DOMITIA Ɔ.L. PROBA SIBI ET DOMITIAE Ɔ. L.
THALLVSAE SORORI ET AETONI SORORI
S. F. V. F.
H. L. S. H. N. S.

vbi illi vltimi characteres ſignificant, Hunc Locum Sui Heredes Non Sequantur, ſicut in iiſdem ædibus in columna lapidea ſub imagine fœminea illud Elogium.

ISIDI REG.
P. POSTHVMVS HECATEVS, ET
PVBLICIA FELICITAS
L. D. D. D.
N̄. CCC. II.

vbi illi quatuor characteres ex omnium ſententia inferunt, Locus datus decreto Decurionum.

A. Ego vtique non modicum mihi lucrum peperi, dum aliquantiſper circa has litteras hæſitarem, vt tantum modò mihi nunc non ignorandum ſuperſit, numquid ſatius ſit dicere monumentum, an monimentum, an potius, vt ego iam retuli, munimentum, cum tot modis in marmoribus



ribus inſcriptum comperiatur.

B. Priorem ego ſcribendi modum, vti frequentiorem, inſequerer; & ſi vocabuli Etymologiam voluerimus indagare, monumentum quippe, ſeu monumentum dicetur, eo quòd moneat mentes ſpectantium, aut legentium de rebus iis, quarum cauſa talis memoria poſita ſit: munimentum verò, quod rarò in ſepulchris comperies, ratione molis potius, quàm rei alterius, dictum puto, vt munitus aliquis locus ad alicuius mentem denotaretur. quod teſtimonio Laurentij Vallæ Lib. IIII. Elegantiarum facilè confirmatur; cum dicat; Munimenta ſunt munitiones caſtrorum, cæterarumq; rerum, quæ contra aduentum hoſtium muniunt: qui quidem ſubinde aſſerit monumenta eſſe ſepulchra, ſtatuas, titulos, libros, cæteraq;, quæ nos alicuius rei præteritæ moneant: nam de futuro, vt quidam volunt, ideo ſepulchra apellari monumenta, quod nos noſtræ ipſorum mortis admoneant, falſum eſt; & ad ſummam, vt aiunt excellentiſſ. Iuriſconſulti Celſus, Vlpianus, Florentinus, & alij Lib. Digeſtorum xj. ſub titulo de religioſis, & ſumptibus funerum, Monumẽtum generaliter res eſt memoriæ cauſa in poſterum prodita, in qua ſi corpus, vel reliquiæ inferantur, fiet ſepulchrum; ſi verò nihil eorum inferatur, erit monumentum memoriæ cauſa factum, quod Græci κενοτάφιον appellant. Suetonius in Nerone honorarium tumulum vocat: vbi vnum non eſt ignorandum, cænotaphium cum ae nouum ſepulchrum inferre, cum oe commune ſepulchrum, cenota-

cenotaphium autem ſine aliquo diphtongo ſepulchrum uacuum denotare, ciborium nunc vulgò dictum, eſt enim capſa quædam depictis mortibus obſcurata, quæ ponitur in templo in exequiis mortuorum, quod genus tumuli Virgilius tertio Aeneid. ſic deſcribit.

Solennes tum forte dapes, & triſtia dona
Libabat Cereri Andromache, maneſq; uocabat
Hectoreum ad tumulum, uiridi quẽ ceſpite inanẽ,
Et geminas, cauſam lachrymis, ſacrauerat aras.

Sed iam, ſi lubet, ad Franciſcana Epitaphia reuertamur.

A. Me hæc omnia percepiſſe lætor: iam igitur tecum ad tumulos perlegendos aſſurgo. En ibi ſunt bina, ſibiq; inuicem contigua monumenta Nobilium de Bombenis, quẽadmodũ ſcriptura in altero, in altero inſignia manifeſtãt.

SEPVLTVRA NOBILIS VIRI DOMINI BARTHOLOMAEI DE BOMBENIS, ET SVORVM HEREDVM.

B. Tertium Ioanni Bombeno poſitum ad D. Catherinæ fanum non abſimile Epitaphium reperitur. Cæterum magnifica hæc familia Taruiſina antiquitus inter Florentinas numerabatur, vt etiam Ioannes Candidus adnotauit, inqua illuſtriſſima ciuitate etiam nunc ſplendent viri tanti ſtemmatis nobiles, ac glorioſi: crediderim te non latere hos ciues noſtros antiquum illud Palatium in uico, qui dicitur Cornarupta, ſecus aquæ decurſum non longè à Cathedrali Baſilica poſſidere, in quo adhuc clarè dignoſcuntur inſignia gentilitia Carrarienſium illorum, qui ſuis temporibus, vt ex chronicis, & ex inſignibus, rubenti inquam plauſtro, etiam ad publici prætorij pinnas expoſitis non eſt obſcurum, Taruiſij noſtri ditioni fuere poſiti.



A. Iſtud quidem ſcio, ac pariter obſeruaui, quinetiam memini me vidiſſe, dum Florentiæ commorarer infra Sanctæ Crucis templum, ſanè noſtrorum Minoritarum, antiquum, ac exeſum hoc Epitaphium cum iiſdem inſignibus.

S:.:LAPI:.:IOANNIS DE BOMBENIS, ET SVORVM HEREDVM.

aſt quo iure id palatium poſſideant Bombenij certè ignoro.

B. Vt aliàs audiui, Franciſchinus de Bombenis, vir Nobilis, Equitum Ductor fortiſſimus, cum in matrimonium illuſtrem Dominam de Carraria traduxiſſet, ædes illas præter alia iure uxorio hæreditauit: prætermittam autem nunc immorari in recenſendis præclaris viris, qui actis temporibus in hac familia litteris, & armis ſplendidi refulſerunt, Quandoquidem, & Medici, ac Philoſophi, & Iuriſconſulti, & Equites geneoſi mihi eſſent voce, aut potius calamo percurrendi: Relictus nihilominus tantæ ſtirpis ſuperſtes clarus alumnus ad ſui dicendum me ſurripit, magnificus ſcilicet

*cenotaphium autem ſine aliquo diphtongo ſepulchrum uacuum denotare, ciborium nunc vulgò dictum, eſt enim capſa quædam depictis mortibus obſcurata, quæ ponitur in templo in exequiis mortuorum, quod genus tumuli Virgilius tertio Aeneid. ſic deſcribit.*

Solennes tum forte dapes, & triſtia dona
Libabat Cereri Andromache, maneſq; uocabat
Hectoreum ad tumulum, uiridi quē ceſpite inanē,
Et geminas, cauſam lachrymis, ſacrauerat aras.

*Sed iam, ſi lubet, ad Franciſcana Epitaphia reuertamur.*

A. *Me hæc omnia percepiſſe lætor: iam igitur tecum ad tumulos perlegendos aſſurgo. En ibi ſunt bina, ſibiq; inuicem contigua monumenta Nobilium de Bombenis, quēadmodū ſcriptura in altero, in altero inſignia manifeſtāt.*

SEPVLTVRA NOBILIS VIRI DOMINI BARTHOLOMAEI DE BOMBENIS, ET SVORVM HEREDVM.

B. *Tertium Ioanni Bombeno poſitum ad D. Catherinæ fanum non abſimile Epitaphium reperitur. Cæterum magnifica hæc familia Taruiſina antiquitus inter Florentinas numerabatur, vt etiam Ioannes Candidus adnotauit, in qua illuſtriſſima ciuitate etiam nunc ſplendent viri tanti ſtemmatis nobiles, ac glorioſi: crediderim te non latere hos cives noſtros antiquum illud Palatium in uico, qui dicitur Cornarupta, ſecus aquæ decurſum non*

longè



*longè à Cathedrali Baſilica poſſidere, in quo adhuc clarè dignoſcuntur inſignia gentilitia Carrarienſium illorum, qui ſuis temporibus, vt ex chronicis, & ex inſignibus, rubenti inquam plauſtro, etiam ad publici prætorij pinnas expoſitis non eſt obſcurum, Taruiſij noſtri ditioni fuere poſiti.*

A. *Iſtud quidem ſcio, ac pariter obſeruaui, quinetiam memini me vidiſſe, dum Florentiæ commorarer infra Sanctæ Crucis templum, ſanè noſtrorum Minoritarum, antiquum, ac exeſum hoc Epitaphium cum iiſdem inſignibus.*

S: . : LAPI : . : IOANNIS DE BOMBENIS, ET SVORVM HEREDVM.

*aſt quo iure id palatium poſſideant Bombenij certè ignoro.*

B. *Vt aliàs audiui, Franciſchinus de Bombenis, vir Nobilis, Equitum Ductor fortiſſimus, cum in matrimonium illuſtrem Dominam de Carraria traduxiſset, ædes illas præter alia iure vxorio hæreditauit: prætermittam autem nunc immorari in recenſendis præclaris viris, qui actis temporibus in hac familia litteris, & armis ſplendidi refulſerunt, Quandoquidem, & Medici, ac Philoſophi, & Iuriſconſulti, & Equites generoſi mihi eſſent voce, aut potius calamo percurrendi: Relictus nihilominus tantæ ſtirpis ſuperſtes clarus alumnus ad ſui dicendum me ſurripit, magnificus*

ſcilicet

ſcilicet Matthæus Bombenius, qui ædes antiquiſſimas, ac pinnatas noſtris contiguas nunc inhabitat, vrbanus ſanè ciuis, ac Elegans ſi quis alius; hic inquam & ſtemmate, & animo, & fortunis admodum nobilis ante aliquot annos nobiliſſimè, ac ſplendidè in Academia Patauina præfulſit, cum nedum eius ſtudium in lectitandis optimis libris diſtineretur, verùm magis in conferendo ſtudioſis præmia, quæ erat ipſius benignitas, & in virtutibus præmunitos ſacra propenſio: nunc autem cum egregiis Patritiis ad ciuitatis negotia ſatis intentus, Moralibus virtutibus, ethicæ inquam, œconomicæ, ac politicæ, ſuſcipiendis liberis, ac valetudini operam nauans, gaudet videre filios ſuos, tres ex vtraque ſpecie pulcherrimos, elegantes, ac ſtudioſos, tamquàm oliuarum nouellas in circuitu menſæ ſuæ, filios ſanè dignos tanto patre.

A. Modo illud, quod ante oculos hic eſt poſitum, monumentum percurram.

D. M.
BERNAR. ARGENTAE. LE. DOC. CLARISS.
PARENTI OPT.
ET VINCENTIO PATRVO CLARISS.
FRANCISCVS FILIVS, AC NEPOS PIENTISS.
EX IPSORVM INSTITVTIONE DILIGENTISSIME.
FI. CV.
M D X X X.

B. Familia hæc eſt inter ciuicas ſatis antiqua, in eaq; diuerſi



uerſi variis temporibus floruère, & armis, & litteris optimè cogniti.

A. Hic in proximo eminet hæc inſignis ara ex lapide inciſa marmoreo de aurato cum pictura admodum ſpecioſa, vbi eius auctores ad viuum ſimiles Natiuitatem CHRISTI Domini admirantes fuère depicti, in cuius altaris baſi hi charactères aurei, vt cernis, inſculpti comperiuntur.

ALOYSIVS ROVERIVS EQVES EX DEVOTIONE SVA EREXIT.

Hinc autem ad templi medium eſt hoc Nobilium Roueriorum elaboratum ſepulchrum his litteris inſignitum.

ALOYSIVS ROVERIVS NOBIL. TARVIS.
HOC IN TEMPLO ALTARE IN TITVLVM
NATIVIT.
IESV XPI DEVOT. EREXIT.
MONVMENTVM VERO HIER. ET MARG.
PARENTIB. OPT.
ET AVRELIAE POLAE VXORI SIBI. S Q.
OMNIB. POS.
ANNO DNI. MDLXVII.

B. Generoſus hic Eques, ac ſplendidus ſemper extitit, vti nunc eſt, Magnificæ huius ciuitatis ſanè defenſor, ac conſeruator, & æqui boniq; cuſtos optimus. quare deplorandum eſt eius infortunium, cum propter quædam

Ee ve-

*vectigalia, ac vadimonia, quæ ipſi perperam ſortita fuère, ei contigerit præter pecuniarum grande peculium grandiora prædia pluribus millenis aureis venundare. verùm quiſnàm poteſt diu aduerſus iratam fortunam luctari? bene quidem, vt cætera, cecinit Lyricus noſter: Hinc apicem rapax fortuna cum ſtridore acuto ſuſtulit, hic poſuiſſe gaudet. Vnicum Magnifico huic Equiti ſolamen reſtitit, ipſum ſcilicet ſuſcepiſſe filios, quotquot ſint, adeo elegantes, & quantum ætas illa tenera ferre poteſt, litteras humanas apprimè doctos, vt poematibus componendis, & recitandis orationibus coram Clariſſimis Magiſtratibus Atilius maior natu, qui decennium uix tranſcenderat, iam fuerit aptiſſimus comprobatus. quocirca magnam ſpem ſibi ipſis futuræ gloriæ, patriq; , ac Patriæ emolumenti iamdudum apud omnium animos reliquerunt.*

A. *Non ne ab hac familia fuerat oriundus Bonifacius iuriſconſultus percelebris, cuius honorificum monumentum infra hoc cœnobium conſpicitur his carminibus cohoneſtatum?*

Vrna BONIFACIVM tulit hæc in iure peritum.
Strenua quem decorat proles ROVERIA quõdã,
Mille trecentenus cum quarto terque uigenus
Annus erat CHRISTI, Maij bis nona dieſque.

B. *Ne dum hic, ſed & alij multi ex hac familia antiqua quondam Caſtri Rouerij Domina nobis eſſent meritò recenſendi: nam & de altero Bonifacio Rouerio viro ſplendido, & forſan prodigo, ante non multos annos vita functo, eſſet mentio facienda, cuius cadauer conſtat adhuc, vt aiunt, & inſignia indicant in lignea illa arca picata, quam ſupra hanc portam panno illo purpureo ſuperinducto appenſam vides. ſed ecce alterum Roueriorum monumentum penes illud quod retuliſti, cuius elogiũ non modica legimus difficultate, nempe.*



Vir Dominus DAVIT præclarus nobilitate
Stat de ROVERIO clauſus in hoc tumulo,
Annis millenis trecentum biſq; vigenis
Menſis Septembris occidit vndecimo.

*Eſſent pariter referendæ eleemoſinæ, quas hæc familia huic monaſterio ſemper contribuit. cernis ad ſacrarium intus, & extra magnificæ huius domus inſignia, ære namq; Roueriorum illud conſtructum fuit. neque Nicolaus Rouerius Poteſtas Coneglani ſtatim poſt Albertum Raynaldum anno CHRISTI 1315, eſſet à ſcriptis noſtris modo aliquo relegandus. ſed noſtrum non eſt omnia circa omnes, quorum familiæ iſtic ſunt depoſitæ, in præſentia reſignare.*

A. *Ad minimum rogo, ne te pigeat huc conferre illud Epitaphium, quod in cathedrali Eccleſia ſibi apponi voluit Reuerendus Iulius Rouerius Canonicus noſtri temporis exemplaris, & ob nobile vitæ ſtudium admirandus.*

B. *In tui gratiam illud referam, quod tamen ab aliis non ſemel vſurpatum conſpicies.*

*Spero, che nel gran dì l'alma ritorni*
*A riueſtirſi il quì ripoſto velo,*
*Et tua mercè, Signor, drizzala al cielo,*
*A' miglior vita, & à più lieti giorni.*

*Enimuerò & Epitaphiorum, eorumq; abſoluta ſimilitudo, & eiuſdem æui hominum par ſtatus, atque profeſſio me cogunt ad referendum illa altera quatuor carmina lautiſſimi Canonici Zuchellij non longè à ſuperiori ante ſeptennium tumulati, ad radices nempe ſcalarum chori, ſecus illam quadratam petram ex porphyrite, quam primam poſuit ante 1500. annos B. Proſdocimus in cathedrali illo templo exædificando.*

*Quì ſtia Signor la mia carne riposta,*
*Fin che riſorga nel gran dì tremendo,*
*Ne le tue mani humil lo ſpirto rendo,*
*Che il puro ſangue del figliuol ti coſta.*

*Eſt hic ad aram D. Sebaſtiani ſepulchrum quibuſdam uerſibus & inſigniis boneſtatum. audi.*

FRAN-



FRANCISCO LANIVS SIMEON GENITVS PATRE TVMBAM
HANC SIBI, ET VXORI FECIT APOLLONIAE
VT QVORVM TENVIT DVLCIS CONCORDIA VITAM,
OSSA TEGAT SAXVM IVNCTA DECENTER IDEM
HAEREDIBVSQ. SVIS CVNCTIS CONCESSA PER FRATRES.
M D. II.

B. *Iſti fuère Auctores noſtrorum ciuium de Sammartino, ex qua & antiqua, & quandoq; opulenta familia complures illuſtres viri, ac generoſi Equites ſurrexère. ſufficiat memorari Bonum de Sammartino, qui in percutiendo fœdere inter Veronenſes & Patauos legatus Taruiſij cum Alexandro, & Guecello Nouellis, atque Enſediſio de Guidotis interfuit. qua de re Torellus Sarayna in hiſtoria Veronenſi, veluti ad præſens Franciſcum Sammartinum Nobilem ciuem Corrigieſem uotis omnibus, ob innumera eius merita, vt patet ex Priuilegio, conſtitutum, patrem ſanè dulciſſimi affinis mei Scipionis, Equitem percelebrem, & in litteris non mediocriter uerſatum, cuius pro meritis uſque adeo ab Illuſtribus Comitibus de Sancto Saluatore, præſentim ab Illuſtri Hannibale domus Collaltæ ſplendore perpetuo, diligitur, ac amplexatur, vt neque per diem ex illis plures ualeant abſque eo uitam*

tam

*tam traducere beatiorem. Sed quid in his ad præſens ulterius remoramur? En Monachi ad preces ueſpertinas præcinendas conueniunt. ſi mauis, interſimus, & ad chori operoſa Sedilia recepti nunc quieſcamus.*

FINIS QVINTI SERMONIS.

# EPITAPHIORVM
## SERMO SEXTVS.

INTERLOCVTORES.

ALEXANDER VONICVS,
&
BARTHOLOMÆVS BVRCHELATVS.

A. *NISI plura ſupereſſent monumenta indaganda, dicerem, amice dulciſſime, ut nunc hoc ueſpere fratrum precibus expeditis liberius ad ea procederemus.*

B. *Adſum annuens tuis optatis, neque, ut imaginor, elogia multa ſuperſunt.*

A. *Eia igitur, quæ moles hæc ad murum imperfecta ſuſpenſa iacet?*

*In*

B. In Nobilis cuiuſdam ciuis noſtri memoriam tale opus occæptum fuit, quod ſanè, ſi finem cum principio coniunxiſſet, honorificum, ut conſpicis, euaſiſſet Mauſolæum: litteræ inſculptæ ſunt plures, & altiores, quàm ut hic in ſolo manens legere ualeam. tu, ſi lubet, ſuggeſtum illud aſcendas, & facilè quod ibi inſculptum fuerit comprehendes.

A. Nihil moror. ne te pigeat hæc, quæ legero pugillari tuo, quem præ manibus habes, paginæ commendare.

FRANCIS. RHOLAN. VIRO CLARISS.
QVI CVM IN HAC NOBILISS. TAR. CIVIT.
SCRIBAE, AC CANCELLARII OFFICIO
OPT. FVNGERETVR,
OB EGREGIAS ANIMI VIRTVTES CORONAM LAVREAM
A FEDER. IMPER. DONARI MERVIT.
MOXQ. VENETIAS, VT GRAECE' LATINEQ.
PROFITERETVR ACCITVS
CVM SE EGREGIE' PRAESTITISSET
IN PATRIAM REVERSVS NON SINE MAXIMO
EIVS LVCTV MORTEM OBIIT.
VI KAL. MAR. MCCCCLXXXX.
HIERONYMOQ. PATRI IVR. CONS. INTEGER.
FRANC. RHOLAND. HVIVS FILIVS,
ILLIVS VERO NEPOS PIENTISS. SIBI
VXORIQ. CARISS. HELISABETH DE ARCHADIS
V. P.
M. D. L I I I I.

Antiqua



B. Antiqua hæc Rholandellorum familia ferè ſemper generoſos habuit alumnos, vt etiam ex Elogiis clarum eſt. nam præter iſtud ſunt & duo alia non ſpernendi operis monumenta infra cauædium, quorum alterum uetuſtate disfractum caducas litteras aliquot adhuc repræſentat, alterum verò hoc Epitaphio eſt inſignitum.

MAGDALENAE F. Q. SP. IV. VTR. DOC.
D. AVRELII RHOLANDELLI HIER. RHO. IV. DOC.
EX TESTA.

A. Hieronymus hic Rholandellus ille fuit, ni fallor, qui magnificum illud palatium conſtruxit, vbi in editiori loco, ac prætereuntibus apparenti, præter nomen proprium, & tempus, & inſigne gentilicium auratum, grandioribus litteris exciſum liquit illud dicterium, quod tale eſt.

NON VANITATE, SED COMMODO.

Innuens, vt credo, ſe non ad oſtentationem ædes adeo grandes, ac commodas fabricaſſe, verùm quoniam ipſius ſatis amplæ fortunæ, & forſitan merita ſic requirebant. Cæterùm nonnè aliquid de Franciſco Poeta laureato ulteriùs refers?

B. Illud audiui, quòd, dum quoddam Elegans poema in Cæſaris gratiam pepigiſſet, petitus ab Imperatore, vt ab eo, quam maluerit, gratiam poſtularet, illam dubio procul impetraturus: tunc generoſo animo non aurum, non fortunas, ſed decus, & ſibi, & poſteris ornamentum,

Ff quale

*quale Franciſco Petrarcæ Romæ in Capitolio largitum fuit, lauream ſcilicet poſtulauit; quam Cæſar deinde tali, tantoq; honore coram vniuerſo populo illuſtri Heroum phalange comitatus contribuit, quali, quantoq; forſan nemini alio Imperatorem contribuiſſe compertum eſt. Huius lepidi noſtri Poetæ opera plura ſanè pronepotibus incognita ſitu, carieq; conſumpta iacent: quædam attamen viſuntur, præſertim opus illud de ſacroſancta Euchariſtia, è magnis Baſilio, & Ioanne Chryſoſtomo de Græco in Latinum ſermonem ab illo primùm traductũ, & Federico III. Imperatori donatum. typis etenim excuſſum pluribus ſui copiam impartiuit. Nec grauabor hic ſubſcribere flebile hexaſtichon, quod in poetæ perinde, atque oratoris celebris memoriam quidam eius coætaneus tunc adſcripſit.*

Rholandellus in hoc Franciſcus Apolline dignus,
  Clarus, & orator conditus eſt tumulo.
Hunc Cæſar lauro dignatus, lingua, & utraque
  Præſtantem Veneti percoluère patres,
Floruit hac cunctis defunctus honoribus vrbe,
  Quos olli virtus, ingeniumq; tulit.

A. *Tranſcendamus amabò vlterius ad alteram templi partem, viſuri pedetentim, quid ibi etiam memoria dignum extat.*

B. *I præ, & ſtatim ſequor. Iam ſi cupis à temetipſo aliquis legas.*

AN-



A. ANTONIVS IOANNIS DERRENDI PARTES DE BONONIA AVVS PATERNVS ALOYSIO ET VANIO DE PADVA FRATRIBVS.

B. *Sepulchrum hoc eſt conciuium noſtrorum de Padua, qui inter ornatiſſimos ciuitatis noſtræ uiros certe obtinent primas ſedes. & uel vnus Gradenicus iuriſonſultiſſimus ſatis eſset ad declarandum honorificæ huius familiæ ſplendorem, quandoquidem Venetiæ, Patauium, Brixia, Verona, Bergomum, & aliæ vrbes multæ ipſum in iudicando, & conſulendo, & declamando ſæpius, ac diutius ſunt expertæ. hinc eſt, quòd ipſum nos conterranei minus aliis deguſtamus, niſi quandoque & conſultationes, & elegantia Poemata, quibus non modicam contribuit operam, per litteras nobis deſtinet. ſed non morabor pro hac familia illuſtranda, quam inter antiquiores Italiæ Sigonius numerauit, ne meis verbis potiùs de illo ſplendore detraham, quem iamdudum & ipſe Carolus, & Frater Leander de Albertis in Bononienſi hiſtoria, relatis generoſis viris, eorumq; glorioſis geſtis, fœlici calamo præmonſtrarunt. vt omittam ſimul interea quæcumque Daniel huius ſtemmatis clarus alumnus in familiæ gloriam à me viſa innumera huiuſmodi monumenta in vnum congeſſit, quapropter ad alia vlteriùs tibi iam progredi liceat.*

A. *Vt video, hæc in proximo ſunt Germanorum monumenta, iſtud aureis cælatum litteris in hoc xyſto poſitum tibi legere non grauabor.*

Ff 2 HIC

HIC IACET ANTONIVS BISSINGER
DE VVESCHEN DORFF.
ANNO AETATIS SVAE XXXIII.
PIE' OBIIT. DIE XVII. SEPTEMBRIS.
ANNO DÑI MDLXXII.

B. *Quis hic fuerit, & quomodo verba eiuſmodi valeant pronuntiari, certè ignoro: illud nihilominus ſcire liceat, quod hoc altare D. Antonio de Padua erectum, ac conſacratum, & per vniuerſa illius circumpicta miracula cælatis illis ex finiſſimo marmore, quæ Patauij in Baſilica propria ab omnibus cum ſtupore conſpiciuntur, ſimilia ſatis conſtat, à Theutonicis hic Taruiſij frequentiùs, maioriq; in copia antiquitus commorantibus erectum, atque dotatum fuit: qui deinde ad inhumanda cadauera quatuor ſibi, ſuiſq; poſteris ſepulturas, duas extra templum in ſepulchreto ſub dio, duas iſtas pariter hic ante aram ædificarunt, propterea piè menſtruis, iiſq; ſtatis temporibus ſolemnia ſacra celebrant iſti patres.*

A. *Et hoc non diſplicuit audire, modo referas aliquid de hac contigua ſepultura Antonio cuidam Bergomenſi antea conſtructa, nunc fermè diruta.*

B. *Eſt familiæ Oliuæ non leuibus priuilegiis decoratæ hæc ſepultura, & certè cum hoc titulo, vt de altero Antonio eius domus ſplendore mihi inter amicos præcipuo aliqua dicerem, me excitaſti; præſertim quòd illi, cum ante ſexquiannum occumberet, tale tunc Epigramma elegiacum dedicaui.*

Muſa



Muſa nouos repetas Elegos, En clarus Alumnus
  Palladis extremum clauſit Oliua diem:
Clarus erat Medicus, ueluti ſermone diſertus,
  Orator gratus ciuibus ille fuit.
Hunc penes omne genus librorū māſit, & omnes
  Legerat, heu liquit Nate te, eosq; tibi.
Tanto Nate viro plangas peramate Ioannes
  Franciſce, ora tibi percutiasq; tua.
Nam tibi defunctus pater eſt dulciſſimus, atque
  Præceptor, pariter dexteritate comes:
Ah miſeris ægris quanta eſt iactura ſupremam
  Supremum Medicum nunc obiiſſe diem:
Triſtentur ciues, lugubris patria tanti
  Detq; ſui ſignum grata doloris item.
Eiulet amiſſo pacis generoſa propago
  Tanto iure viro ſtirpis honore ſuæ:
Tuq; pauens, pallensq; ſimul mea Muſa dolore
  Circumfuſa graui diſcruciere dici.
Nam tibi, Nam ſtirpi, patriæ, ægris, religioſis,
  Gnato, ac uſque libris gratus amicus obit.

*Fuit Aedepol, vt bene noris, Medicus hic percelebris, qui longo tempore in publico Bononiæ ſtudio commoratus, & honores alios multos, & gradum Rectoris Scholarium Phyſicorum, dum ſe cum aliis in palæſtra litteraria exerceret, & Lecturam Doctor promeruit, ac vtrumque magnificè ſummoq; cum honore exercuit magiſtratum.*

Occurrit

A. Occurrit memoriæ venerandus Canonicus valde ſenex, quin, ut dicere ſolebat Plautus, ſilicernium antequam ſuum clauderet extremum diem, qui cum eſſet Rector Eccleſiæ D. Ioannis Baptiſtæ, vbi inquam ſacro baptiſmate initiamur, atque vbi ipſe, ac ſubinde eius nepos ex fratre Canonicus, & iuris doctor Ioannes Baptiſta de ſacro proluebant fonte, uniuerſum templum ex ſacra ipſius Protectoris hiſtoria depingi fecit, ſua ipſius naturali effigie ſimillima ſuperaddita.

B. Sicut hæc diligenter refers, ita & monumentum illud referre poſſes, quod in eodem templo ſupra maiorem ianuam conſpicitur collocatum, nempe.

D. O. M.
DIVOQ. IOANNI BAP.
TEMPLVN FORNICE CONFECTVM,
RESTAVRATVMQ.
AERE PROPRIO FRANC. OLIVAE PLEBANI.
ANNO DOMINI M D XXXII.

A. Neque dum hoc, verùm etiam illud hexaſtichon, quod de eodem opere ſcripſit Vincentius Vonica, Poeta celebris, eius ſtirpis non indignus alumnus, ex qua complures in vtroque genere Doctores, atque Poetæ conſurrexère.

Templa dicata Deo ſunt hæc, Diuoq; Ioanni
Baptiſtæ, fidei fons ubi clarus adeſt:
Pre-



Presbyterum decus hoc Franciſcus munus Oliua
Contulit inſtaurans Templa uetuſta piè.
Templo etenim ueteri cernens inſtare ruinam,
Sedulus ære ſuo tale parauit opus.

Porrò inſigne gentilicium huic, quod in hoc Sarcophago exciſum erat, tribus lilijs decoratum, apprime ſimile mihi uidetur illud, quod hic in proximo ſuper lapide ſitum eſt, cuius titulum lubens lego.

ADMIRANDAE INDOLIS PVERO
IOANNI MARIAE
TVMBA HAEC CONDITA PRIMO. GRATIA CVIVS
PATRVIS MOERENTIBVS, GENITORIQ. SVO
VITALI. EORVMQ. HEREDIBVS DE PERGAMO
NVNC SAXCA MANET.
1498. SEPT. DECEMBRIS.
COMPOSITA TRISTIS.

B. Inſignia hæc non niſi coloribus inter has ambas, & etiam Variſcam familiam diſtinguuntur, quippe quæ vno, eodemq; fermè tempore de Bergomo huc commigrarunt, &, cum vnius eſſent cognationis, vnumq; inſigne gentilicium retinerent, diſtinguentes cognomina, eadem retinentes inſignia, illa uariatis coloribus diremerunt. Iam verò clarum, elegans, atque magnificum eſt hoc elogium, quod antiquis illis Romanis in pluribus æmuletur: id cum diſtinctè conſcriptum ſit, qui modus ſcribendi maiorem fortaſſe laudem meretur, quam ille decurtatus, ac mutilus.

lus, qui miris ænigmatibus ſæpe obſcurus redditur, ac ſæpius præter ſcribentis intentionem interpretatur, id in quam non aliter exponemus, niſi verbum illud Saxca, quod incidentis errorem coniicio, Sacra deſignare volentis: reliquum porrò in fine poſitum, ſcilicet, COMPOSITA TRISTIS, denotat ſuperſtitum animorum mœſtitiam, ac mollitiem, qualem dicendi normam non ſemel apud antiquos te iamdudum obſeruaſſe confido. cæterùm in epilogando quotquot fuerint de Vitalibus uiri egregij non morabor, quandoquidem, & ad finem propero, & neque in aliis familiis id obſeruaui. quod ſi præſtare voluiſſem, ſicuti præſtitit vir numquam ſatis laudandus Bernardinus Scardeonius Patauinus Patriæ Zelator præcipuus, fermè inſtar Valerij Maximi apud Romanos, & liber in immenſum creuiſſet, meq; & ciues omnes ſcribendo, ac percunctando forſitan tale faſtidioſumnegotium nimiopere fatigaſſet. Verumtamen iam cognoſcis qualis vir fuerit, qualis ſit Excellentiſſimus Vitalis Vitalius Auunculus meus obſeruandiſſimus, huius familiæ decus, ac ornamentum, vel ex antiquorum ſtatutorum, legumq; municipalium ciuitatis noſtræ eleganti, atque accurata reductione typis iam antea expoſita, maleuolorum inuidia poſtergata, iam omnibus ſatis cognitum: illum, vt noris, ante quinquennium vti protectorem Tyrociniorum meorum, quæ typis diuulganda permiſi, vti acerrimum defenſorem, dum foret opus, elegi. quod munus iurè ſibi ſpectandum cenſui, veluti viro præter



præter legum quarumcumque peritiam, ob quam & hic, & foris mirum in modum fulget, præterq; affinitatem, quæ mutua inter nos intercedit, optimè in poeticis uerſato, meq; ſummopere diligenti. non laborabo ampliùs in eius laudibus, cum & alibi, & ſæpius à me, & ab aliis priuatim, publiceq; relatæ ſint.

A. Neque Ego de tuis poematibus, vt æquum eſſet, magnificè colloquendo ulteriùs immorabor: quæ ſanè tametſi iure Tyrocinia vocitaris, cum illa in florenti ætate, maximeq; Amori indulgente, ſcripſiſſes, cumq; ſemper te humilem vltra modum præſtiteris, nihilominus ob ſenſa, ob conceptus peregrinos, ob dicendi numerum, ſicuti & ob miras argutias paucis cognitas, aut perpenſas, non Tyrocinia, ſed Senilia potius iure optimò potuiſſent denominari. Vnum quippe doleo, quòd & alia plurima, quæ maturiùs conſcripſiſti, non porrigis imprimenda: talem nihilominus ſpem in amicitia noſtra repoſui, talem fidem, ut, quando ſumma cum ratione enitar, ſperem abs te aliqua à multis peroptata opera perlegenda publiciùs extorquere; & ò vtinam valeam ſaltem opus illud ſymbolicum, quod ſuper Platonis Dialogis, ſuperq; Salomonis Prouerbiis artificioſa pictura appoſita carminibus pepigiſti, quàm citiùs impetrare. Sed de his aliàs. Extat huic igitur ſepulchrum continuum, cuius titulus, vt video, nobiles aduenas memoratur.

D. M.

MARIAE MARIPETRAE CONIVGI INCOMPARABILI IOANNES BAPTISTA SOLDVS BRIXIENSIS IVRIS VTRIVSQ. CONSVLTVS, ET VICARIVS PIENTISSIME. P.

*Neque dum hoc, uerum & alia multa reperiuntur in hoc cæmiterio extera monumenta, vti illud infra cænobium, quod tale eſt.*

HELISABETHAE FILIAE CHARISS. LVCRETIA PRIOLI VIVENS POSVIT, ET SIBI, AC POSTERIS. M D X L V.

*vt illud etiam in maiori baſilica conſtitutum ſepulchrum affabrè elaboratum, cuius talis eſt titulus.*

LAVRENTIO LAVREDANO S. C. DVM TARVISINAM PRAETVRAM GERERET DEFVNCTO PETRVS LAVREDANVS F. CANONICVS TAR. PARENTI DVLCISS. MOERENS, ET SIBI MON. P. OBIIT MCCCCLXXVII. PRIDIE CAL. MAR.

*Horum autem Clariſſimorum hominum matrumq; nobiliſſimarum Virtutes accuratius indagare ſit alterius ſcriptoris opus: ſatis attamen ex Elogiis conſtat has familias Maripetram, Priolam, Lauretanam eſſe Nobiles inter Venetas, ut etiam inſignia gentilitia clariùs manifeſtant.*



*ſtant. De prætore illo Clariſs. dicendum eſſet. ſed nunc non ſufficit tempus ad eius opera ſollicitius ſciſcitanda, quandoquidem nec eſſet prætereundus ſilentio, & M. Antonius Lauretanus ante octuaginta annos Taruiſij prætor vigilantiſſimus, cuius promeritis grati ciues tale in marmore monimentum conſtituerunt.*

M. ANTONIO LAVREDANO V. C. PRAETORI PRAEFECTOQ IVSTISS. QVOD TESTATISSIMAE IN EVM CLIENTELLAE MONVMENTVN FORET

CIVES TARVISINI

*Et Paulus Lauretanus D. Marci Procurator, qui anno. 1356. cum Iuſtiniano, & Delphino Prouiſor Taruiſij bellorum tempore præſidebat: & magis alter Paulus Lauretanus nunc haud quaquam eſſet ſilentio prætereundus, qui ſenator Venetus auguſtiſſimus hic in præſentia pro illuſtriſs. Dominio Prætor, Præfectusq; adeo diligens, adeo integer, tantæq; inter proceres familiaritatis, ſingularisq; cõſuetudinis, in cæteros omnes mutui amoris, fidei, obſeruantiæ, ſummæq; integritatis, ac bonitatis ſtudioſus, vt ſumma pace; ſummaq; tranquillitate ſub eius felicibus auſpiciis vitam degamus.*

A. *Ego duorum hic iuxta inſtitutum noſtrum tantæ familiæ Epitaphiorum memoriam faciam, quæ Venetiis in inſula infra D. Helenæ Templum nobile in operoſis marmoribus obſeruaui: quorum alterum Aloyſio Lauretano*

*Pauli filio claſſis Venetæ Prouiſori: alterum verò vtri-que patri & filio Petro & Iacobo Lauretanis ambobus viris ſummis, & triumphatoribus fortiſſimis dedicata fuerunt. verba hic non referam, cum longiori ſint poſita oratione, quàm hic locus poſtulet: ea nihilominus qui cupit, perlegat in libro illo, quem Franc. Sanſouinus de præclaris Venetiarum memorabilibus compilauit. vt iurè cum Germano Audeberto in eius Venetiade canere ualeamus.*

LAVRETANA domus, longis exercita bellis,
Fortiter accisas pugnando reſtituit res,
Extendens longo veteres diſcrimine metas.

*Vt interea Leonardum, & Petrum Lauretanos Principes auguſtiſſimos, atque alios huius proſapiæ viros clariſſimos, breuitatis gratia prætermittam.*

B. *Hæc nunc ſufficient, modò hoc ſacellum ſatis operosè conſtructum ingrediamur, vbi primùm illud, quod ad aram conſcriptum eſt, rectius perlegamus.*

HANC ARAM, QVAE POST GALEATII HOSTIANI VERONEN. AC REGINAE VXORIS DEDICATIONEM DIV MALE MATERIATA, AC RVINOSA IACVIT, NVNC ANT. HOSTIANVS DE VERONA VIR PIENTISS. VNA CVM INNOCENTIA VXORE AD DEI OPT. MAX. ET DIVAE MARIAE LAVDEM, ET SEMPITERNAM SVI, SVORVMQ. MEMORIAM IN HANC PVLCHRIOREM FORMAM AERE PROPRIO RESTITVEN. C.
ANNO DOMINI. MDLXXV.

*Ego*



A. *Ego autem ad hanc molem ſepulchralem conuerſus inſpicio huius generoſi ſtemmatis operoſam arcam præter terreſtrem ſepulturam, miris marmoreis inſignibus, elegantiq; Epitaphio cohoneſtatam. audi.*

BARTHOLOMAEAE AZZONIAE MATRI, ET PETROMARIAI HOSTIANO VERONENSI FRATRI STEMMATIS ANTIQVI MOERORE PV. ELATIS, GALEAT. HOSTIANVS FRANC. F. PIETATIS ERGO
V. P.

B. *Sicuti hoc Elogium viros ſtrenuos, ac generoſos commemorat, ita & elegans eſt, & ornatum, ac ſummo ſtudio, artificioq; compoſitum. habes ſanè in eo verborum elegantiam, ordinatam texturam, optimam dictaturam, ſummam breuitatem. nulla eſt hic hæſitatio, niſi fortè illud* PV. ELATIS, *ſcilicet mœrore publico defunctis, nihil hic diminuti, nihil ſuperflui, habes inquam nomen, cognomen, familiam, Patriam, Antiquitatem, merita, ſuperſtitum officium, ac pietatem: neque forſan minorem laudem meretur illud, quod antea in ara legimus, vbi præter Elegantiam, ac ornatum, ordinatumq; dicendi modum, præter huius nobilis familiæ in Deum reuerentiam, quæ ſibi ſolæ ſacellum hoc vniuerſum ſelegit, & fratribus non leue beneficium deſtinauit, licet intueri altare illud ex onychite marmore finiſſimo elaboratum, vbi, ſi rectè aſpicimus, ſummum, ac admirabile peritiſſimi lypothomi comprehendimus artificium.*

*Neque*

*Neque ab re me facturum imaginor, ſi duo Elogia has ambas inſcriptiones æmulantia, perinde ac declarantia à me Neapoli animaduerſa hic reponerem, Quorum alterum in Templo D. Ioannis ad Carbonariam tale legitur.*

TIBI CAELI REGINA
GALEATIVS CARACIOLVS,
CVI BONA MVLTA CONTVLISTI,
A' QVO ITEM MALA ABRVNCASTI,
SACELLVM MARMOREVM CVM ARA,
SIGNIS, AC OMNI VVLTV GRATVS,
LIBENSQ. DEDICO, ET TAMQVAM
DECVMAM SOLVO.

*Alterum ad D. Aloyſij in marmoreo tumulo ita legitur regiſtratum.*

VICTORIO IOANNIS F. MARTIALI,
PATRIS MICHAELISQ. FRATRIS FVNERI.
VIX DVM IVSTIS PERSOLVTIS,
IMMATVRA MORTE EREPTO.
BEATRIX QVADRA CONIVGI CONCORDISSIMO.
IOANNESQ. QVADRINVS PVER VNVS EX
SVA GENTE (PROH DOLOR) RELIQVVS
PATRI OPTIMO POS. ELATVS MOERORE
PVBLICO. M D L I I I I.

*Verùm, quid de huiuſmodi viris nobilibus mihi narras?*

*Priſci*



B. *Priſci homines huius ſtemmatis ab Oſtia urbe antiquiſſima propè Romam, quam Ancus Martius Quartus Romanorum Rex ædificarat, vt aſtruunt Dionyſius Alicarnaſeus, Liuius, & alij, Veronam ſe tranſtulerunt, vbi inter Nobiles connumerati diutius cohabitarunt: ſubinde poſteri aliqui milites ſtrenui orbem peragrantes aeris noſtri temperiem, agri fœcunditatem, ciues honorificentiſſimos contemplati, iſtuc cum familia ad Taruiſium incolendum commigrarunt, atque ſicuti in nobilibus illis ciuitatibus fuerant nobiles, itidem in noſtra tales recepti ſunt, & cum nobilibus fœminis matrimonia contraxère. mirandum in modum condolent ciues hanc præclaram familiam penè extinctam iri, cum nullus alius huius lineæ adſit ſuperſtes quàm iugales illi ad aram nominati Magnificus inquam Antonius filius quondam ſtrenui militis grauis armaturæ Palamedis, & Magnifica Innocentia huius familiæ, ſed & Patriæ ſplendor conſpicuus, quorum par fortaſſe vix liceat comperire, ſi ſpectes animorum generoſitatem, morum comitatem, ac elegantiam, annorum proportionem, ſicuti corporum pulcherrimam ſymmetriam: nihilominus huiuſcemodi caſto connubio, quod, ni fallor, ante viginti annos incepit, ſterilitas ſemper eſt dominata. Opera Egregia Galeatij Hoſtiani, Petrimariæ, Franciſci, Palamedis, Antonij, aliorumq; huius ſtemmatis virorum illuſtrium me diutiùs retinerent. ſed hæc, & alia aliàs fortaſſe, cum de Patriciis Taruiſinis ſermonem faciam, ex induſtria recenſebo.*

*Et*

A. *Et quando hæc erunt, o Amice, o Zelator Patriæ.*

B. *Cum primùm hoc opus Epitaphiorum abſoluero, atq; illud conciuibus meis gratum extitiſſe comperero, tunc, niſi phyſica negotia interturbabunt, ad aliud opus accingar, explicaturus omnes familias Nobiles Taruiſinas cum defunctas, quæ ſunt multæ, tum magis nunc glorioſè degentes, earumq; priſcas origines, & quot quot in illis viri armis illuſtres, ac litteris à primis vſque ad hos vltimos annos conſurrexère: niſi forte fortuna alius viuacioris ingenij arduum huiuſcemodi negotium interea mihi ſubtrahat. Quapropter, quod reliquum eſt de Nobilibus uiris, quorum monumenta in hoc templo reducta ſunt, vlteriùs ſumma breuitate percurram.*

A. *En hic Nobilium de Caſtro Polæ Epitaphium, en Nobilium de Sugana, en illorum de Laſtis, illorum de Bragis, ac aliorum.*

B. *Legas amabò ſigillatim, ne horum elogiorum materiam mutilam relinquamus.*

A. SEPVLTVRA NOBILIS VIRI & FLORELAE FILII NOBILIS VIRI DNI SERGII DE CASTRO POLAE. QVI OBIIT DIE XV. SEPTEMB. MCCCCXXVII.

B. *Hæc proſapia, quæ & Sergia dicitur, & à Sergiis Romanis creditur defluxiſſe, generoſa, numeroſaq; ſemper extitit. quod etiam ex ſepulchris, ac elogiis clarè conſtat: ſunt etenim præter hoc vnum duo alia ad Eccleſiam Cathedralem, & aliud ad D. Catherinæ in templi medio, non quidem litteris, ſed inſignibus gentiliciis decoratum, quod magis nunc ab eorum mortuis frequentatur. modo illorum Epitaphia hic reponamus.*



S. NOBILIS VIRI DÑI BAPTISTAE FILII STRENVI VIRI DÑI SERGII DE DOMO CASTRI POLAE. ET SVORVM HEREDVM.

*Hic nihilominus calicem operoſum legauit huic Sacrario Franciſcano, tametſi aliò ſe reponendum fore non ignorabat. alterum tale eſt.*

HIC SITVS EST VIR NOBILIS FRANCISCVS DE CASTROPOLAE SERGII FILIVS PONTIFICII. ET CIVILIS IVRIS CONSVLTVS EXIMIVS ET SACRI PALATII ADVOCATVS CLARISS. QVI OBIIT DIE X. MENSIS MAII MCCCCL.

*Vt dicebam, Ego in præſentia prætermittam quotquot generoſos viros, ſi quidem vel huius illuſtris, ac antiqui ſtemmatis hiſtoria ſibi grandem codicem adrogaret: ne dicam vel vnum Forelam virum ſtrenuum, & magni nominis, vel vnum Bonifacium de Pola, qui fuit Taruiſij Poteſtas clariſſimus anno Domini 1269. ſiue Priamum illum, qui annua menſtruaq; officia his patribus iniunxit pro viuis, atque defunctis eius familiæ, legatum vtile admodum fratribus erogando.*

Hh An

A. An ignoras, quæ dixerit Robortellus de hac illuſtri proſapia, dum Aelianum de inſtruendis aciebus à ſe è Græco Latinum factum Antonio Polæ viro grauiſſimo demandaret? cuius dedicationis titulus talis eſt.

Nobiliſſimo, Magnanimoq; viro Antonio Sergio Polæ Equitum Ductori Fortiſſimo apud Inſubrum Præſidem Franciſcus Robortellus Vtinenſis S. D.

vbi clarè dignoſcitur ante ſeptingentos annos in hac familia ſemper viros ſtrenuos floruiſſe, eosq; ad extremos Italiæ terminos multorum Oppidorum Principes extitiſſe, unde recedentes à Veneta Republ. in medium veluti ſinum peramanter receptos eſſe, vt in Taruiſina nobiliſſima vrbe domicilium habeant & opibus refertum, & nobilitate ſplendens, & imaginibus auorum ornatiſſimum; quorum tunc vir Clariſſ. Naſcinguerra inter Senatores Venetos grato animo eſt computatus: illius porrò Antonij pater Baptiſta Carolum V. inuictiſſimum Ducem ſecutus, illi inter gratiſſimos Comites, ac Heroes ſemper eſt habitus.

B. Eſt dolor publicus hanc ſtrenuam familiam, niſi Deus proſpiciat, quatenus ſpectat ad maſculos, tam breui tempore finituram: ſunt etenim, vt noris, duo Magnifici fratres duntaxat ſuperſtites, Paulus, & Enſediſius, viri inquam illuſtres, quorum mentes quantum erant ab ineundis matrimoniis alienæ, palàm eſt, quandoquidem Enſediſius iuriſconſultiſſimus vitam, profeſſionemq; clericalem





lem inierat, multosq; annos apud Curiam Romanam inſumpſerat, vbi & honores multos, & magiſtratus cum ſummis oneribus ſibi à ſummo Pontifice delatos maximo cum omnium ſtupore retinuit: qui proculdubio ſi in tali profeſſione perſeueraſſet, & Epiſcopus citò, & ſubinde breui Cardinalis etiam euaſiſſet. ſed eius conſanguinei imaginati ſtemma huiuſmodi generoſum de Sergiis in eius lumbis repoſitum eſſe, eum ad ineundum matrimonium compulerunt. quocirca Lauiniam perpulchram Virginem ex illuſtriſſima Proſapia Caetana in vxorem traduxit: cum qua nihilominus per tot annos nullum tantæ prolis ſignum ſuſcepit: tametſi & Clariſſimi Medici miris excogitatis remediis illum, illamq; ad tale negotium, quantum ars valuit, diſponere procuraſſent. id cum ita præter intentionem adhuc ſucceſſiſſet, parumq; adeſſet ſuſcipiendæ prolis ſpei: ſenior Paulus, qui eouſq; nunquam voluit aſſentiri, coactus eſt ad matrimonium complectendum: propterea Anthiopem nobilem mulierem ex illuſtri proſapia Dominorum de Spilimbergo traduxit, ex qua nihilominus hucuſque filiam ſuſcepit. ſed hæ non admittuntur ad fideicommiſſum, quod opulentiſſimum eſt, ſub quo cadit & Palatium illud, quod habitant admirandum, in quo ante ſeptennium, dum Rex Galliæ ad Regnum properans de Polonia iſtac iter ageret, Dux Ferrariæ, veteris cum Sergio Pola neceſſitudinis memor, cum tota eius familia eſt hoſpitatus: Rex autem in illo ſumptuoſiſſimo, ac admirando Palatio nobilium noſtrorum

de Bethignolis de Brixia cum his Sergiis arcto conſanguinitatis vinculo coniunctiſſimis. ad cuius rei memoriam in pulchro lapide aureis characteribus deſignato in Regio ipſo cubiculo vir illuſtris Franciſcus Bethignola ædium dominus omnibus annuentibus Elogium huiuſcemodi reponendum curauit.

IN HISCE AEDIBVS
HENRICVS III. GALLIAE, ET I. POLONIAE REX
A FRANCISCO BETHIGNOLA DOMO BRIXIA
DEIPHOEBI FILIO.
PERHVMANITER, ET PERAMANTER ACCEPTVS
VT VNIVERSAE CIVITATIS HILARITATEM
IN VNO CIVE VNAQ. DOMO COLLECTAM
FACILE OMNES PERSPICERENT.
IPSEQVE
FRANCISCVM AEDIVM DOMINVM
REGIO PLENE VVLTV ACCEPIT
PRIDIEQVAM VENETIAS PROFICISCERETVR.
VT INDE GALLIAE REGNVM PETERET
HAEREDITARIVM
EX IMMATVRO CAROLI IX. FRATRIS OBITV
CIϽ IϽ LXXIV. XVII. KAL. SEX.

Porrò obiit diem ſuum ante annos aliquot Bernardinus tertius horum frater, tribus filiabus relictis: quarum maior Petra nomine nupſit ante circiter duos annos illuſtri, ac Generoſo Comiti Achilli de Sancto Bonifacio, quæ familia inter Patauinas, & Veronenſes & ditiſſima eſt, & antiquiſſima, atque, quod vno verbo concludam, vna ex quinque antiquiſſimis familiis huius noſtræ Venetiæ: aliæ ſiquidem fuerant De Camino, de qua in veſtibulo noſtri operis, Honaria ſeu de Romano, Eſtenſis, & de Campiſamperio, quarum tres aliquando fuerunt inter ciuicas Taruiſinas; Caminenſis ſcilicet, Honaria, & Campiſamperia.



Adhæc ſecunda filia Catherina virgo nubilis ſpectatiſſimæ indolis, ac ſpeciei ante tres menſes morbillis correpta vitam commutauit cum morte: quocirca plures tunc Epigrammata flebilia pepigère: Ego etiam poſtremus omnium cum aliis mœrens tale hexaſtichon delineaui.

POLIA perpetuo ſomno pulcherrima virgo
Opprimitur, lachrymis perpetuisq; ſui.
Quinetiam matres cunctæ, cunctæq; puellæ,
Quis pudor eſt curæ, ſplendida forma, decus;
Linguite iam terris Dominæ terreſtre cadauer,
Iubilat in cælis POLIA facta Dea.

A. Amiciſſimus meus, ſi vnquam alius, Iulius de Anſelmis nobilis adoleſcens optimæ ſpei Etruſcam illam odam tunc exarauit, quam tu in aliud Latinum hexaſtichon ſic poſtea conuertiſti.

Dum gemitu ambierat fatalia funera largo
Aonidum pulchræ Virginis atra chorus:

Cinxit

Cinxit honorata CATHERINÆ tempora palma
Pallas, & huic Laurum iunxit Apollo ſacram:
Marmora tũ plectro ſignans gemebundus eburno
Virginis omne decus teſtificatus abit.

*Porro, ſi verbum dixero, mi frater dulciſſime, patiaris quæſo, iam iam promittis te minimè nunc ſuper ſtrenuis viris familiarum nobilium digreſſurum, hæc in aliud fortaſſe tempus reiiciens. nihilominus non pauca ſuper hoc illuſtri ſtemmate fuimus prolocuti.*

B. *Scito, amice, nos haudquaquam cum ſilentio hæc qualiacumque prætermittere potuiſſe, quoniam res id in præſentia poſtulabat. dicendum erat enimuero quoſnam hæc Epitaphia repræſentant, eorum autem merita, affinitates illuſtriſſimas, glorioſa geſta me ſiluiſſe tibi dignoſcere non eſt arduum, reliquum ſic percurriſſe neutiquam fuit ce te prætermittendum. Sed hæc hactenus, tu modo ad alia Epitaphia prælegenda procedas.*

A. *Ad alia non procedam, niſi priùs tibi retulero huius antiquiſſimæ proſapiæ Sergiæ Epitaphium, Polæ poſitum iuxta fores Eccleſiæ Sanctæ Margaritæ. videlicet,*

L. SERGIVS C. F. SALVIA POS. L.
SERGIVS C. F. CN. SERGIVS AED.
II. POSTVMA. SERGI. LEPIDVS
AED. TR. C. F. AED. II. MIL. LEG.
XXX. VIRQVINQ. SALVIA. POSTV-
MA. SERGI. DE. SVA. PECVNIA.

*Quin-*



*Quinetiam aliud Iaderæ poſitum iſtiuſmodi:*

SERGIA OLYMPIA SIBI ET
L. SERGIO RVFO F. ET L. CALTILIO TESPIO
H. M. H. N. S.

*Porro eſt hic in proximo marmor finiſſimum. inſcriptionem legam: tu obſeruabis:*

MICHAELI SVGANAE PATRI
DEFVNCTO IIII. NON. FEBR. MCCCCXVII
FRANCISCO SVGANAE MICH. F. DIEM FVNCTO
IIII. NON APRIL. MCCCCLXXXVIIII.
NEPOTES GRATI POSVERE.
H. M. H. S.

*Aliud etiam nobilis huius familiæ, vt inſignia repræſentant, molis operoſæ altiùs circinatum monumentum ad altare maius intueor. accedo. eius titulus talis eſt:*

ALOYSIO SVGANAE EQ. PVB. VIROQ. SVAVIS.
MORIBVS, AC OMNI VITAE INTEGRI-
TATE ORNATO
BARTHOLOMAEVS IVRISC. ET VINCENTIVS
FILII AMANTISS. H. M. PP.
IS IX. ET LX. ANNOS NATVS MORTVVS EST
A CHRISTI ADVENTV MDXXIII.

B. *Eſt & tertium huius ſtemmatis monumentum, quod infra cœnobium cum tali titulo reperitur:*

FRANC.

FRANC. SVGANA
BARTH. IVR. CONS. FILIVS RESTAVRAN. CVR.
MDLXVIII. NON. APR.

*Quid agam autem in præſentia, prorſus neſcio, quandoquidem hæc familia plures ſemper habuit, ac præclaros alumnos: quorum Egregia opera ad Epilogum redigere longum eſſet. ſed Ego, ad noſtri operis finem properans, his in aliud tempus reſeruatis, ne omnem laborem nunc ſubterfugere voluiſſe videar, dicam de Franciſco Sugana in poſtremo hoc Elogio nominato, viro inter nobiles ornatiſſimo, ac admirando, inter amicos meos, ac dominos humaniſſimo, ac ſtudioſo, dicam inquam illum omni virtutum generi deditum eſſe, in cuius ædibus continuè virtutes omnes, ſed præcipuè muſicorum omnia genera apertis Ianuis, cunctis allectis optimis muſicis, exercentur. ille ſanè ad lites componendas, ad paces ineundas tali dexteritate, tali verborum dulcedine, ac elegantia, taliq; mentis acumine, ac ratione procedit, vt ſemper partes in ſumma animorū quiete permaneant, eiusq; iudicium, ac voluntatem in omnibus proſequantur. Vir hic Egregius vſqueadeo addictus eſt agriculturæ, vt mirum ſit, quomodo & ruri, & ciuitati propria opera valeat diſtribuere. ſed tanta eſt eius intellectus ſpeculatio, ut, opportunis temporibus diligentiſſimè obſeruatis, toto ferme anni tempore & ruri ſuo cultiſſimo, & vrbi dilectiſſimæ optimis equorum commodis, ac carpentorum, amicis*





*ſemper præſentibus, ſtatim interſit, neque illi vnquam, neque iſti quicquam deficiat. Non aliter atque ego ex charitate mea ſanè amœno, & propinquo rure hoc capio commodi, vt neque agri, neque urbis odium me unquam percipiat, vbi ſatietas cepit fieri, commuto locum, quemadmodum Laches ille Terentianus dictitabat.*

A. *Scio Equidem te ſummopere cultiſſimo rure tuo parùm vltra ſecundum lapidem poſito delectari, vbi aliàs memini me in ſublimioris atrij medio hoc tuum diſtichum lectitaſſe.*

CHARITAS, ET CHARITES CARA CVM CONIVGE COGVNT
CARMINA CVM CLARA CONDERE CVLTA CHELI.

B. *Poſſidet nobilis hic noſter ciuis, præter prædia alia multa, in pago Saltubrio ad quintum lapidem ſupra vrbem fundum adeo eleganter, ac operosè ex eius mentis, tum agricolarum, operariorumq; induſtria diſpoſitum, ac elaboratum, vt, quod vno verbo abſoluam, tales delitiæ aptæ fuerint compellere Franciſcum Melchiorem Patricium Opiterginum eius ſororium, virum omni virtutum genere cumulatum, cunctisq; ſtudioſis optimè cognitum, ad componendum librum integrum de laudibus huius loci, huius Viridarij, huius Paradiſi: & etiam nunc ab illo expectantur huius pomerij promiſſæ leges. ſed hæc in præſentia, aliàs fortaſſe plura, & grandiora*

de tanto viro, quinimo de tanta familia, cum & de prædefunctis præclaris viris, & de aliis ſuperſtitibus, præſertim de Dominico magnifici Equitis filio, viro in omnibus perſpicaciſſimo, ac ſubtiliſſimo, minimè eſſet faciendum ſilentium.

A. Rectè ædepol, quandoquidem præter alia multa de eleemoſynis per hanc familiam his R. fratribus erogatis, & de fabricis, vt teſtantur inſignia, dicendum eſſet: Et vel vnus Franciſcus Sugana, qui ante circiter centum annos duo librarum millia huic pio cænobio eroganda legauit, orationem expoſceret longiorem; ſiue Aloyſius ille Eques illuſtris, qui præter largam vini, & tritici eleemoſynam latum cenſum his patribus annuatim perpetuò largiendum reliquit. ſed poſitis inſignis Equitis Marci Antonij vxoris, filiæq; Epitaphiis ad alia tranſeamus, quorum ſanè alterum ad hoc altare maius dum ſuperius aſpectaſſem nunc prætarieram, nempe.

D. O. M.
MARCELLE SVGANAE SANCTISSIMAE
OSSA. VIX. ANNOS LXX.
OBIIT ANNO SAL. MDLXXII.
DIE XVI. MEN. AVG.

Alterum eſt ad D. Pariſij, quinimo ante ſancti huius celebris aram, vbi eius ſacrũ cadauer in arca marmorea, dum Taruiſij anno Domini 1267. ſanctiſſimè moreretur grati ciues noſtri ſumma cum veneratione repoſuerunt.

IACET



IACET HIC CAELESTINA FILIA
MAGNIFICI DÑI MARCIANTONII
SVGANAE.

Beati autem illius patris Elogium in marmore tale eſt.

BEATI PARISII MONACHI
ORDINIS CAMALDVLENSIS,
QVI LXXX ANNIS
HOC MONASTERIVM OPTIME REXIT,
VIXITQ. ANNIS CXVI.
ATQVE ANNO SALVTIS MCCLXVII.
DIE IVNII XI. SPIRAVIT IN DÑO.
SANCTISSIMVM AC CLARVM
MIRACVLIS CORPVS
HAC IN ARCA QVIESCIT.

Iam lego iſtud proximum Epitaphium ſuper inſigne gentilicio elaboratum.

HAEC EST SEPVLTVRA ILLORVM DE
LASTIS DE PETRA RVBEA.

B. Sunt, vt noris, hi conciues noſtri nobiles ſatis antiqui,

 qui

qui ſanè Aram illam B. Mariæ Virginis ſub campanili poſitam, ac innumeris indulgentiis decoratam conſtituerunt. horum duo ſuperſtites Petrus ſcilicet vir religioſiſſimus, veræq; pietatis exemplar, in pauperes ferme prodigus, & Antonius adoleſcens optimæ ſpei, ſplendidus, virtutis zelator, ac generoſus, magnum de ſeipſis, deq; eorum ſtemmate, ac glorioſum indicium repræſentant.

A. Memini ad Eccleſiam Cathedralem me vidiſſe in D. Rochi Sacello à Petro à Laſtis Canonico pientiſſimo fabricato Epitaphium, neque non Epicedium certe elegantia, quod breuius eſt, & propter carmen memoratu facilius. ecce refero.

Quē manet hic tumulus, tumulũ cōſtruxit, & Arã
A LASTIS PETRVS de grege, & ipſe Pater.

B. Scio equidem. ſed nihil ulteriùs laborabis. non etenim eſt huiuſce cognationis, licet in nomine, & in cognominatione conueniant, vt vel ex inſigniis illis domeſticis vtrinque inciſis ſit manifeſtum.

A. Contiguum hoc monumentum cum hac exculpta imagine promiſſis veſtibus, vt cernitur, ueneranda, cuiuſdam quippe Doctoris eſt ſepultura. legam litteras omnes, quæ illam ambiunt circumquaque.

HIC



HIC IACET CIRCVMSPECTVS VIR MAGISTER BONACVRSIVS DE ASYLO ARTIVM MEDICINAE DOCTOR FILIVS & FRANCISCI DE ASYLO. OBIIT ENIM IN MCCCLXXXVIII. DIE XV. OCTOBRIS.

B. Ex elogio clarè conſtat hunc fuiſſe artium Doctorem egregium: & tametſi familia non exprimatur, ex inſigniis gentiliciis, & magis ex defunctorum repoſitione iamdudum eſt cognitum has ambas contiguas ſepulturas fuiſſe nobilium noſtrorum ciuium de Braga, qui ſuperioribus ſæculis & de Francia, & de Tanaro inſcribebantur: quæ quidem familia ante non multos annos fuit maribus deſtituta: ex fœminis autem ſuperſunt duæ generoſæ matres Maximilia, atque Helena, quarum prior Magnifico Franciſco de Raynaldis in matrimonium collocata, altera autem Magnifico Hieronymo Rauagnino viris Patriciis, matres quidem ſpectatiſſimæ Indolis, numeroſæq;, ac generoſæ Prolis. Fuerunt ex hac locuplete, nobiliq; familia plures optimi ciues. Extat ad D. Nicolai muros extra Templum ſuſpenſa arca marmorea cum huiuſmodi inſigniis, ad cuius oram adhuc ſalui leguntur hi characteres.

✠ IN MCCCXII. INDICTIONE X. DECESSIT NOBILIS VIR DOMINVS IOANNES DE TANARO QVI HIC INTVS IACET.

Eſt pariter ad D. Laurentij monumentum nuper altiùs

tius erutum; in aliud ſubinde opus expoſitum, in quo ſtrenui militis Rholandini de Braga, ut audiui, fit mentio condigna. ſicuti ad Eccleſiam D. Ioannis Baptiſtæ à Templo Clariſſimi Andreæ Raymundi Equitis Hieroſolymitani domicilium, cui ſanè, vt non ignoras, ante quinquennium Elephantem meum Heroicis carminibus, materiam præbente Pierio, concinnatum liberaliter demandaui: hoc aliud Epitaphium ſuper delineato presbytero reperitur.

VENERANDO DÑO HIERONYMO DE BRAGIS
SVBDIACONO, ET CANONICO MCCCCLXXXII.

Sed & aliud huius ordinis Epitaphium ad D. Catherinæ iam conſtitutum reponam, eò autem libentiùs, quò illuſtris hiſtorici noſtri mentio recenſetur, cuius ſanè opus à pronepotibus nimis ſuppreſſum ſi proferretur, parum forſitan in Taruiſina hiſtoria nobis deſiderandum relictum eſſet.

PHYLIPPAE BRACHIAE VXORI OBSEQVENTISS.
BARTHOLOMAEVS ZVCHATVS MARITVS LONGI
TEMPORIS B. M. V. P. SIBIQ.

Sed iam ad alia procedamus.

A. Dum talia referebas, Ego ad illam columnam aciem oculorum direxi, vidiq; nouam quandam & Alabaſtrite finiſſimo effigiem fabrefactam cum ſatis longa verborum ſerie ſubexculpta. incredibili quodam affectu moueor



ueor ad illam proximiùs intuendum, aliquem enimuero memorandum virum hæc repræſentat.

B. Nobilius Epitaphium nobiliori erectum viro neſcirem Ego nedum in hoc Templo, ſed & in aliis omnibus commentari. audias, atque totum obſerues obſecro à vertice, vt aiunt, ad imos talos.

QVIS HIC? M. ANT. CVRSIVS. CVIAS?
TARVISINVS. QVID PROFESSVS?
MONACHVM, PHILOSOPHVM, AC
THEOLOGVM PLANE SVMMVM.
QVAE MERITA?
DOCENDO, SCRIBENDO, DECLAMANDO,
AGENDO, VIVENDO, DENIQ. INGENIO,
DOCTRINA, FACVNDIA, PRVDENTIA,
AC PROBITATE SINGVLARI CVM PATRIAM
IPSAM, TVM FRANCISC. FAMILIAM
(VRBE ET ORBE TESTE)
AD SVMMVM DECVS EVEXISSE.
QVAE PRAEMIA?
DEO FRVI CORPORE IAM POSITO.
QVO ANNO, MENSE, AC DIE?
SALVTIS NOSTRAE MDLXXII. V. CAL. DECEMB.
AETATIS VERO SVAE AN. XLI. D. XX.
QVI POSVERE?
FR. DANIEL SBAR. BRIXIEN. ET
FR. STEPHANVS GIRARD. VENETVS
MINORITAE THEOLOGI PYLADEO
QVONDAM NEXV HOMINI IVNCTI
VETERIS NECESSITVDINIS ERGO.

Vſque

*Vſque adeo vtique clarè loquitur hoc Elogium, vt, ſicuti in perlegendo nulla eſt hæſitatio, ita in veritate referenda nulla dubitatio intercedit. quandoquidem, ne te multis morer, norunt Venetiæ, Patauium, Brixia, Verona, Vtinum; quid vltra? fermè ciuitates omnes Inſubriæ, & Roma ipſa, & nos ipſi nouimus, qualis, quantuſq; fuerit concionator, quantus ſacræ Theologiæ interpres, & doctus, & ſubtilis, & facilis, certè fuit mœror publicus tam citus obitus tanti ciuis. ſed quid amplius poſſumus? ſi mors relictis reis meliores ferè ſemper furatur. Eius opera cum in Pſalmis Dauidicis, tum in alijs ſacris codicibus iam & prælecta, & litteris accuratius commendata, ſicuti & doctiſſimum eius, ac pijſſimum Quadrageſimale ab omnibus, præſertim conciuibus, ſummo in precio habitum, ſummo iure, publicius expetuntur, ac expectantur.*

A. *Noui admirabilem virum in ſtudijs, & laboribus nedum conſumatum, ſed & conſumptum, tanta fuit ipſius in vita, & moribus obſeruantia, perinde atque nobis eſt apprimè cognitus frater eius Hieronymus iuriſconſultus, neque non Manſionarius venerandus. Ne autem alicui dubium faceret illud verbum Pyladeo ad calcem Elogij regiſtratum, ſciat ille id poſitum eſſe ad arctiſſimum neceſſitudinis hominum vinculum exprimendum, à Pylade ſanè deductum nomen: Fuit etenim Pylades Strophij Phocenſis filius indiſſolubili nexu amicitiæ cum Oreſte coniunctus. nam, cum Clytemneſtra ab Aegiſto adultero*





*ro adiuta Agamemnonem occidiſſet, Strophius Oreſtem adhuc puerum certiſſimæ neci ſubduxit, & in regno ſuo vnà cum Pylade educauit. Poſtea cum Oreſtes gratia vindicandæ paternæ mortis matrem interemiſſet, eamq; ob rem in furorem conuerſus eſſet, Pyladem perpetuum omnium ſuarum profectionum comitem habuit, & ſocium periculorum, tamq; ſe ſe mutuò amoris beneuolentia ſunt proſecuti, vt alter pro altero mori non recuſaret, ſicuti Cicero etiam libro de amicitia referebat. Cæterùm ad Epitaphia recurramus. Ex altera parte maioris huius Baſilicæ, ſeu Sacelli, in pari columna eſt par effigies à marmore excitata antiquæ cuiuſdam matronæ, vt ex eiuſmodi muliebri ornatu licitum eſt coniectare, nobile ſimulacrum: huic ſunt huiuſcemodi appoſiti charactères.*

IN MEMORIAM DÑAE THOMASIAE
DE LIMBRAGA
℞ PATRES S. FRANCISCI POSVERE
AN. D. MDLX DIE XX. IVNII
OBIIT MCCCLX.

B. *Iuremeritò æqui boniq; conſulentes Patres hi iſtiuſmodi recolendam memoriam excitarunt, quandoquidem hæc generoſa mater huic pio cænobio, præter alia aliis legata plurima, redditus omnes omnium eius prædiorum, qui ſanè ſunt vltra ducentos aureos, quarto quoque anno ad templum hoc, & ſacrarium fulciendum, exornandumq;*

perpetuò liberè deſtinauit: perinde atque aliis tribus annis reliquit maiori xenodochio huius ciuitatis eoſdem prouentus ad oppreſſos, ac miſeros ſubleuandos.

A. Huius executionis memoria infra chori ſedes affabrè inciſas cælata legitur, vt iſtinc vides in primo loco.

SEDILIA HAEC DEDALEA LEGATARIO AERE THOMASIAE MATRONAE RARISSIMAE TRALVSII DE PISETA CONIVGIS, AC VARIENTI DE LIMBRAGA. F. FACTA FVERE ANN. SAL. MCCCCLXXXVI.

B. Hæc inquam ſedilia couſque operoſa conſpiciuntur, vt non immerito ad chori ingreſſum huiuſmodi tunc temporis verba cælata fuerint:

ASAROTICA SEDILIA IPSI ZENODORO INVIDIOSA PETRVS ANTONIVS MVTINENSIS COMPEGIT.

Sicuti etenim Zenodorus inſignis ſtatuarius ſub Nerone Mercurium Coloſſeum quatuorcentum pedum altitudinis ſummo artificio elaborauit, perinde ac coloſſum Neronis, qui poſtea Solis numini dicatus fuit, vt notat Plinius, non aliter hic artifex huiuſmodi opere teſſellis inſititiis variegato, huiuſmodi emblematibus vermiculatis affaberrimè effinxit quæcumque vides, animalia nempe, turres, palatia, inſtrumenta varia, vaſa florida, libros, vtenſilia innumera, ac variata. dicuntur autem aſarotica



ca hæc ſedilia propter operis pauimentum tali arte elaboratum, vt minime verri debeat, ab æpriuatiua particula, & Gαίζο, quod eſt verro, vt notat Ambroſius Calepinus.

A. Amice, vereor, ne tam citò ad propoſitam noſtri operis metam perueniamus, quandoquidem opus adeo egregium tantæ matris erga hos monachos, & magis erga pauperes ciuitatis, qui à magni xenodochij Curatoribus ſubleuantur, me impellit ad producendum illas duas celebres, ac memorandas marmoreas tabulas, quæ hinc inde pro foribus chori ad D. Nicolai templum ſunt magnificentiùs eleuatæ. auſcultes obſecro.

OLIVERIO FORCETAE PIENTISS. QVI MORIENS ANNO MCCCLX. AMPLVM PECVLIVM AD LXXX M AVREORVM XENODOCHIO TARVISINO D. MARIAE T. RELIQVIT. QVORVM EX ANNVO REDDITV IN CARCERE CONIECTI OB AES ALIENVM REDIMVNTVR VIRGINES PAVPERES NVPTVM DANTVR, CAETERISQ. INOPIA LABORANTIBVS SVBVENITVR.

PRAEFECTI IPSIVS XENODOCHII NE TANTA HOMINIS PIETAS DELITESCERET MONVMENTVM IN HOC ILLVSTRIORI FANI LOCO.

F. C.

M D X X X V I I

Alterum inde tale.

THOMAE SALINGVERRAE. V. C.
QVOD SODALITATEM XENODOCHII
DIVAE MARIAE
SIBI HAEREDEM INSTITVERIT.
ET DVOS ADOLESCENTES BONIS ARTIBVS
ERVDIENDOS PERPETVO MANDAVERIT.
OSSA, QVAE ANNOS CIRCITER CCXXXVI
IN ABDITO LOCO SITA FVERANT.
VT TANTI VIRI MEMORIA RENOVETVR
IN HAC TEMPLI MAGIS CELEBRI PARTE
REPONI IVSSERVNT XENODOCHII CVRATORES.
M D X X X V I I.

B. *Iurè ac meritò Ego te debueram auſcultare, quandoquidem cum his ambobus clariſſimis viris noſtræ vrbis ſplendore non defecturo, & Ego aliquale Symbolum teneo, cum* F O R C E T A *quidem, quoniam eius, quas incolebat ædes ad forum Emporij neque infra, neque extra ſigna armorum poſitæ, tum ex conuentione à Xenodochij præſidentibus ante quinquagintaquinque annos ſtipulata cum Aloyſio, atque Andrea fratribus Amicconiis Auctoribus dilectæ prædefunctæ coniugis meæ, quorum alter ipſius Hoſpitalis Cancellarius exiſtebat; ſicuti ad præſens eſt auunculus meus Marcus Antonius de Nouello: tum magis propter fideicommiſſum eorundem Amiconiorum, cum nullus poſt Cæſarem Socerum meũ, qui illas inhabitat, alius ſit hæres, ſiue deſcendens, quàm Ioannes Baptiſta filiolus meus vnicus. cum Salinguerra*

*pariter,*



*pariter, ſi quidem & Ego, veluti plerique omnes phyſicis ſtudiis operam impendentes; tametſi parùm vltra biennium dumtaxat; ſtudens Patauij iſtud bonum emolumentum percepi.*

A. *Eia; quiſnam hic circa fores ſtrepitus? accurramus parumper.*

B. *En venio. vah hominum ſtultitia: eouſq; vario ſenſuum allectu deuentum eſt, vt vel ex boum, canum, atq; hominum diſcerptione lætemur, & tunc ædepol magis quando homo proſternitur, & laniatur: iſti ſibi ipſis crudeles homines tractu illius tauri, imo attractu eorum à forti, & furiato tauro, ſudore, ac cœno ſqualentes, defeſſi, & lutulenti ruunt præcipites, citatiſq; moloſſis illis canibus talem beſtiæ illi furiam indiderunt, vt poſt tot homines, quorum aliquos proſtratos vides, & ſaucios ad ſeſe viuos ſepeliendum infra hoc ſepulchretum propemodum ſeipſos trahi permittant. ſed quid nobis rei eſt cum tauris? cum ſtolidis? obſecro ad Epitaphia reuertamur.*

A. *Adſum mandatis lubens; ſed agedùm, an nobis quicquam rei eſſe cum tauris negas? Tauriſanos, vt bene noris, nos quidam dictos volunt, nedum propter Taurinos vocatos montes regionis noſtræ ſanè murum & antemurale: verùm etiam propterea quoniam cum anteactis ſæculis, nempe paulominus octingentis annis, Patriarchæ Aquileienſes potentes admodum, ac magni, valde plurium confœderatorum auxilio Venetos maximè diuexarent: accidit, vt Vlricus Patriarca captiuus à Venetis*

*duce-*

duceretur: quapropter ab Aquileienſibus petitus nullam vlterius ſe cum illis pugnam inituros ſpondentibus, benignus Senatus Venetus ipſum liberum, atque incolumem patriæ remiſit, hoc vtique conuento, vt ſoluerent quotannis taurum cum duodecim ſuibus, totidemq; pannis griſeis, qui taurus, & ſues vltimo Iouis die ante Quadrageſimam, quem pinguem, ſeu craſſum vocamus, in ludis publicis poſt eorum venationem tandem capite plecterentur. quod etiam libro V. Aquileienſis hiſtoriæ Ioannes Candidus regiſtrauit: qui ſanè mos continuè & Venetiis, & hic Taruiſij perdurauit, & hoc tempore magis, ſi alibi vnquam, viget, tametſi non ampliùs propter Aquileiæ exterminium huiuſmodi ſoluatur tributum. Porrò, quid innuat Taurus ille in xyſto ad medium porticus Equitum antiquiſſimi, ad Vrbis quippe medium, deſignatus, vbi tale ſupraſcriptum eſt chyrographum,

MEMOR ESTO.

Ego aliis diſcutiendum relinquam. ſed vide ſodes, quomodo res ſe habeant, vel cum Epitaphiis noſtri Tauri ſymbolum tenent; en ad pedes noſtros Taurus, non quidem vt furioſus ille plenus periculo, quia marmoreus: cuiuſnam ſit hoc monumentum & boue, & armato viro, & bicipiti Aquila decoratum obſecro videamus.

B. Imò ipſe iamdudum conceperam animo nos iſtuc ad huiuſmodi Epitaphium reuerſuros, quod audias.

HIER.



HIER. Q. PETRIANT. ET BERNARDVS Q. BARTHOLOMAEI, ANTONII; ET ALEXANDRI Q. TRVSARDI, ET BONANNI Q. XPOPHORI DE BOSELLIS CIV. TAR. ET HAEREDVM SVORVM.

M D LXXVI.

Alterum vero horum monumentum ſimile in clauſtro dirutum MDIX.

Familia Boſelliorum mihi iure ſanguinis obſtricta valde quantum ſit antiqua, & in cunctis fermè Inſubriæ ciuitatibus clara, ac celebris, præter alia teſtimonia adrogo illud ampliſſimum priuilegium, quod Fridericus Romanorum Imperator anno ſalutis 1469. Carolo de Boſellis Canonico Bergomenſi, Danielli eius fratri Lancelloti filiis iuris Pontificij Doctoribus, & Gaſparino Boſello artium Doctori clariſſimo, & cunctis deſcendentibus impartiuit: in quo illos, & deſcendentes ſacri Lateranenſis Palatij, aulæq;, ac imperialis Conſiſtorij comites creat, atq; ut valeant ubique locorum nuntios publicos, & iudices ordinarios facere, ac conſtituere auctoritatem largitur: veluti & quòd poſſint filios ſpurios, nothos, & inceſtuoſos legitimare, & in patriam reducere poteſtatem; ac præterea poſt plurima indulta, & exemptiones, ipſos omnium Sacratiſſimi Imperij Ciuitatum ciues declarat, atque, (vt verbis eius vtar) vt elapſa iam tempora futuris connexa videautur, ipſos cum deſcendentibus

tibus ſtatuit inter nobiliores ciues Bergomi reponendos, ſicuti à principio generis ſui, & vetuſtiſſimis iam elapſis temporibus honorabiles, & nobiles ciues illius ciuitatis recenſebantur: addens eorum inſigniis collum Aquilæ imperialis cum aliis aureis patentibus ſuper galea, ſeu cimerio.

A. *Amplum quippe Priuilegium, ac honoratum, quodq; vix habeat ampliora: quod enim & huiuſmodi elogio in his muris iamdudum poſito propter clariſſimi phyſici obitum conſpicuè confirmatur.*

NOB. V. ET COM. PALAT. IACOBO BOSELLO BERGOMATI INTER CAETEROS PRAESTANTISSIMO PHYSICO AB VTINO IN PATRIAM REDEVNTI FEBRI OPPRESSO AETATIS SVAE ANNO LXX.
LICINIVS LEGVM DOCTOR, ET DANIEL FF. MOESTISS. POSVERVNT.
OBIIT DIE XIX. OCTOB. M D L---.

*Cæterùm iamdudum aſpicio exaduerſo hic in proximo altiùs in hoc pariete, non pauca carmina cum vocali fama, tuba, palma, aliiſq; decorata ornamentis ad defunctæ puellæ ſtatuam, hoc omnia legam, tu verò quænam fuerit hæc virguncula palàm facias.*

ERGO



ERGO IACES NONDVM BINA TRIETERIDE PLENA
O SYLVESTRINAE SPESQ. DECVSQ. DOMVS.
NEC REGINA TIBI SPECIES, NEC MOLLIOR AETAS,
NEC LINGVA, AVT PRAECOX PROFVIT INGENIVM.

*Dunque perpetuo ſonno ingombra, e preme*
*Regina Silueſtrina, hor quando ſpera*
*Veder Triuigi più con fede vera*
*In vn ſol luſtro aſſai virtute inſieme?*
*Come hai potuto Apol sì verde ſeme*
*Laſciar perir, e con mente sì fera*
*Al mondo oltraggio far? ahi morte nera,*
*Per lei Parnaſo hor lagrimando geme.*
*Dorme ella, sì, ma l' alma ſua immortale*
*Godeſi allegra; poi che del gran pondo*
*Scarca, nel Ciel hà riuoltate l' ale.*
*Iui ſtato ſoggiorna almo, e giocondo;*
*Ma noi piangemo in queſta vita frale*
*Quel raro ben, che à nullo era ſecondo.*

B. *Ego iam antea hæc legens carmina, ea in Latinos verſus redigere conatus fui: qui ſanè quàm ſortem adepti fuerint, interea iudicabis.*

Ll SYL-

SYLVESTINA igitur ſomno REGINA perenni
Opprimitur? cum Taruiſium miranda parabat
Cernere, virtutum cumulum breuioribus annis?
Vt quid Apollo virens ſemen marceſcere linquis?
Sæculo & hunc affers crudeli mente dolorem?
Ah mors infauſta, hac lacrymãs Parnaſſus ad auras
Emittit gemitus ſurrepta iurè puella,
Dormit ea hic certè, aſt anima immortalis, ad aſtra
Corpore, vt abiecto grauiori ſe extulit alis,
Gaudet ouans, ſummumq. bonum ſpecioſa tuetur:
Nos verò fragili vita iſta plangimus illud
Iurè bonum, fuerat nulli ipſum namq. ſecundum.

*Porro ante annos aliquot tumulum euertentes, & huiuſmodi tetraſtichum vnà cum nota temporis deſtruxerunt.*

TV NE ETIAM REGINA IACES? TE NE IMPROBA PARCA
ABSTVLIT? AN DVBITEM NVMINA. ET IPSA MORI?
BLANDITIAE TECVM CHARITESQ. IOCIQ.
ATQVE LEPOR, VIRTVS, INGENIVMQ. IACENT.
OBIIT DIE XV. SEPT. M D L V.

*Iam vero nequedum relata in his ambobus Epigrammatibus veritatem continent, ſed maiora etiam, quandoquidem, vt audio, hæc Virguncula domus Sylueſtrinæ*





*conciuis noſtræ ſplendor mirabili prudentia de cunctis fermè propoſitis appoſitè loquebatur, aſt illud felici quodam genio ad ſummum amorem, atque ad ſummam inuidiam poſſidebat, ſcilicet ex tempore cultiſſima carmina pangere, eaq; Angelica voce præcinere, vt apud omnes mirum ſtuporem, magnamq; reuerentiam excitaret. ſed mors crudelis nec parcit imbellis iuuentæ poplitibus, timidoq; tergo, vt aliàs dicebamus. verùm enimuero nobis neceſſe eſſet reuerti ad intra cænobium, vbi non me præterit alia aliquot conſtare Epitaphia hic referenda, quæ cum vno hauſtu haudquaquam aſſumere valeamus, præſertim quoniam adueſperaſcit, neque ita perfunctoriè illa ſint pertractanda, iſtis contenti, ſi lubet, reliqua in craſtinum differamus.*

A. *Omnibus Ego uotis aſſentior, ne præ nimia feſtinatione aliquid forte fortuna maioris momenti in ſermonibus noſtris ſit prætermiſſum.*

B. *His igitur contenti, hoc ueſpere monachis clauſuris oſtia concedamus.*

## FINIS SEXTI SERMONIS.

# EPITAPHIORVM
## SERMO SEPTIMVS.

INTERLOCVTORES.

ALEXANDER VONICVS,
&
BARTHOLOMÆVS BVRCHELATVS.

*DII te ſaluum faciant, ac fortunent: Ego fermè inſomnis, tametſi ſoporatus tota hac nocte extiti: mihi videbar etenim per templum, per diſpluuiatum lectitando Epitaphia deambulare: vnde non iniuria dixit ille:*

Omnia, quæ ſenſu voluntur facta diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.

*Propterea, vt primùm, fugatis tenebris, dies inalbuit,*





*amictus veſtibus hora hac matutina tempeſtiuus acceſſi, vt (quod commodo tuo fiat) vnico Sermone hanc Epitaphiorum materiam abſoluamus.*

B. *Bonis adſis auibus. Ego pariter huic horæ iſtud operis reſiduum deſtinaui: En tuo adhæreo lateri, carpe viam. Regnum Dei ex inſtituto primùm quærentes in maius ſacellum hoc concedamus, vbi & ſanctiſſimam Euchariſtiam adoramus, & Beatæ Virginis, ac Seraphici Patris Beati Franciſci imagines veneramur; non quidem vt gentiles, contra quos Lactantius Firmianus ſecundo diuinarum inſtitutionum inuehitur: verùm, vt, dum eas cernimus, atque ante illas ſupplices genua ponimus, mentem attollamus ad cælum, verumq; Vnitrinum Deum cũ Sanctis ſuis veneremur, excolamus, atque in noſtrum adiutorium deprecantes ſuppliciter inuocemus.*

A. *Iam precibus expeditis hinc recedamus, contingit etenim nos per cauædium ſpatiari. ſed quid ibi litterarum cùm iis inſignibus in paruo marmore ſubter hac Arca nobili, quam ſepulchrum honorarium dicerem cum Suetonio, Magnifico Equiti Suganæ (vt ſuo diximus loco) iam deſtinata?*

B. *Lumen maius minus ſpernit, ac ſuperat. arca hæc nobilis hãc tabellam marmoream nec quidem ignobilem, aſt ob ſuperius opificium quaſi abſconditam, eſt cauſata, vt, dum illius aureum Elogium legeremus, iſtud inferius, quod & antiquius, non fuerimus oculis proſecuti. accedamus. quæ legero, hoc pugillari codici commendabis.*

ADVLESCENS QVID MORS FACIAT VIDE.
IOANNA ALEX. MARTELLI PVELLAR. DECVS,
PARENT. DELICIAE. ANN. XII. ACERBO F.
AVRAE VITALI CONCESSIT.
QVOIALE, ET LVCRETIA EXTREMVM. M.
AMORIS. S. LACHRYMABILI, VT
INFER. VICES DECLARAVERVNT ∴
QVAE CVM FERALEM MORTEM VENETIIS
HVC CVM PARENTIB. FVGERET
MORTI TAMEN OBNOXIA FACTA EST.
ANN. SAL. MCCCCLXIIII. XI. KL. OCTOB.

A. *Lachrymarum hoc Epitaphium, quod multam ſapit antiquitatem: veluti & hoc inferius in marmore finiſſimo, ſi quod eſt aliud.*

ALEX. MARTELL. LVCRETIA
PARENTES PIISSIMI ION.
PRIMIGENIAE F. DVLCISSIMAE.

*Elegans, ac miſerabili affectu plenum, memoriæ reuocauit meæ illud flebile, omniq; dignum miſeratione, quod poſuit Polyphilus, neque poſſum, ſi te amo, illud non iſtuc reportare, quod ſi & longius eſt & flebilius, vel illud tranſilias, vel dum potes legens lachrymas contine.*

Heus viator paululum interſere manib. adiurat.
Proditum, ac legens polyſtonos metallo oſcula dato
Addēs an fortunę crudele monſtrũ viuere debuiſſent.
Leontia puella, Lollij ingenui aduleſcent. primaria
Amoris cum intemperie vrgeret. Paternis affecta
Crucia-



Cruciatub. aufugit.inſequit.Lol. ſed inter amplexãdũ
A piratis capti inſtitori cuidam vendunt. ambo
Captiui nauem aſcend. cum noctu ſibi Leont.Lol.
Auferri ſuſpicaret. arrepto gladio nautas cunctos
Trucidat. nauis orta maris ſæuit. ſcopul. terram
Propè colliſa mergit. ſcopul. aſcend. famis
Impulſu Leont. humeris arripiens impono.
Faue adeſdum nept. pater inquiens nos noſtramq.
Fort. tibi committo.tunc Delphineo nixu brachiis
Seco undulas. at leont. internatandum alloquit.
Sum ne tibi mea vita moleſtiæ? tipula leuior
Leont. corculum. atque ſæpicule rogans, ſunt ne
Tibi vires mea ſpes, mea animula? aio eas
Excitas. mox collum amplexata zachariter
Baiulantem deoſculat. ſolat. hortat. vrinantem
Inanimat. geſtio ad litt. tandem deuenim. ſoſpites.
Inſperato infremens leo aggreditur. amplexamur
Inuicem. moribundis parcit leo. territi caſu,
Nauiculã littori vna cum remigali palmicula deiectã
Fugitiui aſcen. vterq. alternatĩ cantantes remigamus.
Diem noctemq; tertiam errant. ipſum tantum vndiq;
Cælum patet. letali cruciamur fame, atq. diutina
Inedia tabeſcentib. ruimus in amplexus,
Leontia inquiens amabo fame peris? ſat tecum eſſe
Lolli depaſcor, aſt illa ſuſpirulans mi Lolli deficis?
Minime inquam amore ſed corpore. ſolis vibrãtibus,
Et mutuis linguis depaſcebamur dulciter. ſtrictiuſq.
Buccis hiantibus oſculis ſuaue iniectis hederaciter
Ample-

Amplexabamur, ambo aſtrophia morimur.
Plemmyriis nec ſæuientib. huc aura deuehimur
Acære quæſtuario miſeri ipſis innexi amplexib.
Manes inter Plotonicos hic ſiti ſumus.
Quoſq. non retinuit pyratica rapacitas, nec
Vorauit leonia ingluuies, pelagiq́. immenſitas
Abnuit capere, huius vrnulæ anguſtia
Hic capit ambos.
Hanc te ſcire volebam infelicitatem.

V A L E.

B. *Qui iſthæc noluerint legere, prætermittant. tam varius etenim eſt guſtus hominum, vt alij aliis delectemur, ſicuti à principio huius operis dicebamus. Ego pariter alterum ſimile eiuſdem Scholæ Epitaphium adnotabo, niſi aliis, ſaltem Amore exagitatis vel placiturum, vel mentis oculos, vt inſtantia proſpiciant infortunia, aperiturum. audi.*

O'lector infelix, hoc monument. ades dum te vocat.
Et poſt inde rogat in quo recidit humana voluptas
Vt legas. dum cinis hic aman. eſt. qui dudum mutuo
Cum pruriēte amore inſolēter exardeſcerēt improbo
Voluptatis impulſu effreni deſert. conueniunt in loc.
Saxa inter diruta; vbi etiam fortè æd. ſacrar. muri.
Confragoſi, & ſalebræ ruinæ extabant, illo Veneri
Optata munera ambo ſoluere arſibiliter urgeremur.
Supina Ego Lopidia anguē in altū lapsū minitantem
Viderem,



Viderē, heuoe ab incœpto deſine īquio mi Chrysāte
Surge, fuge, en ſerpens uoraturus nos iaciabundum
Seſe è muro proſpicio, mox ille exterritus ſuſpiciēs ò
LOPIDIA inquit mea amabò ito uiam, fuge tu uiam,
SINE ME moribūdū dracone īpetere, vix ſurrexerā,
Heu triſtem me miſerā, quòd meū Chryſant. meā uitā
Ad exitium irretitum, ac anguinea ſtrictim circulatū
Vortugine, iā iā anxie reſpirantem uidebā, deſubitoq.
Iugulū mei CHRYſant. dētib. vulnerat mordicus, tū
Suffocari meū CHRYSANT. intueor, atat perij infel.
Meū CHRYſant. mori ſentio, ſtatim furibūda irruo in
Serpēt. captoq. fuſte plectere feſtino, aſt ſerpēs ceruicē
Rixantē diuortit, nec coacte cōplicitū abigere ualui.
Ictum tand. incaute fallens CHRYſant. meum occidi.
Infœliciſs. heu interij, quid feci? quid faciam?
Tam miſera ſuperſtes erit, an ſerpēs & Ego? nequaq.
Sed Herculeo auſu, īmo Laruali furia rīgibūda eo ipſo
Stipit cōuerſo īpetu cadaueri lapſo circinatā in beſtiā
Eā ferio, atq. neco. quid tū puella factura erā perdita,
Et emortua? meū CHRYſant. & belluam mei ſceleris
Teſtes ſcapulis ſupiectos ī vrb. effero, & ne obnoxia euaderē
Suſpiriis, cordolio, & lachrymis identidem irrorant.
Suggeſtum quend. in foro publ. aſcendo, ac ſuſpirulās
PALAM REM facio, cateruatim ciuium concurſu ad
Crudele, & inuiſum ſpect. rixaruit, caſum miſeranter
Mirant. fortunam incuſant. Venerem damnant, teſtor
Scelus meum, numina infer. inuoco, eia ergo inquiens
Me una cum meo CHRYſant. pœn. daturā ſuſcipite,
Mm Nunc

Amplexabamur, ambo aſtrophia morimur.
Plemmyriis nec ſæuientib. huc aura deuehimur
Acære quæſtuario miſeri ipſis innexi amplexib.
Manes inter Plotonicos hic ſiti ſumus.
Quoſq. non retinuit pyratica rapacitas, nec
Vorauit leonia ingluuies, pelagiq. immenſitas
Abnuit capere, huius vrnulæ anguſtia
Hic capit ambos.
Hanc te ſcire volebam infelicitatem.

V A L E.

B. *Qui iſthæc noluerint legere, prætermittant. tam varius etenim eſt guſtus hominum, vt alij aliis delectemur, ſicuti à principio huius operis dicebamus. Ego pariter alterum ſimile eiuſdem Scholæ Epitaphium adnotabo, niſi aliis, ſaltem Amore exagitatis vel placiturum, vel mentis oculos, vt inſtantia proſpiciant infortunia, aperiturum. audi.*

O`lector infelix, hoc monument. ades dum te vocat.
Et poſt inde rogat in quo recidit humana voluptas
Vt legas. dum cinis hic aman. eſt. qui dudum mutuo
Cum pruriēte amore inſolēter exardeſcerēt improbo
Voluptatis impulſu effreni deſert. conueniunt in loc.
Saxa inter diruta; vbi etiam fortè æd. ſacrar. muri.
Confragoſi, & ſalebræ ruinæ extabant, illo Veneri
Optata munera ambo ſoluere arſibiliter urgeremur.
Supina Ego Lopidia anguē in altū lapsū minitantem
Viderem,



Viderē, heuoe ab incœpto deſine īquio mi Chrysāte
Surge, fuge, en ſerpens uoraturus nos iaciabundum
Seſe è muro proſpicio, mox ille exterritus ſuſpiciēs ò
LOPIDIA inquit mea amabò ito uiam, fuge tu uiam,
SINE ME moribūdū draconē īpetere, vix ſurrexerā,
Heu triſtem me miſerā, quòd meū Chryſant. meā uitā
Ad exitium irretitum, ac anguinea ſtrictim circulatū
Vortugine, iā iā anxie reſpirantem uidebā, deſubitoq.
Iugulū mei CHRYſant. dētib. vulnerat mordicus, tū
Suffocari meū CHRYSANT. intueor, atat perij infęl.
Meū CHRYſant. mori ſentio, ſtatim furibūda irruo in
Serpēt. captoq. fuſte plectere feſtino, aſt ſerpēs ceruicē
Rixantē diuortit, nec coacte cōplicitū abigere ualui.
Ictum tand. incaute fallens CHRYſant. meum occidi.
Infœliciſs. heu interij, quid feci? quid faciam?
Tam miſera ſuperſtes erit, an ſerpēs & Ego? nequaq.
Sed Herculeo auſu, īmo Laruali furia rīgibūda eo ipſo
Stipit cōuerſo īpetu cadaueri lapſo circinatā in beſtiā
Eā ferio, atq. neco. quid tū puella factura erā perdita,
Et emortua? meū CHRYſant. & belluam mei ſceleris
Teſtes ſcapulis ſupiectos ī vrb. effero, & ne obnoxia euaderē
Suſpiriis, cordolio, & lachrymis identidem irrorant.
Suggeſtum quend. in foro publ. aſcendo, ac ſuſpirulās
PALAM REM facio, cateruatim ciuium concurſu ad
Crudele, & inuiſum ſpect. rixaruit, caſum miſeranter
Mirant. fortunam incuſant. Venerem damnant, teſtor
Scelus meum, numina infer. inuoco, eia ergo inquiens
Me una cum meo CHRYſant. pœn. daturā ſuſcipite,


Nunc

Nunc culpam in me mihi omnem transferam, tum
Deſperata publico oĩum aſpectui arrepto glad. pectus
Transf. eiusq. cadauere hic me æternum tumulo
Sepeliendam dedi miſerrima. VALE.

*Sed iam deſcendamus ad reliquum præmoniti familiam de Martellis nobilem, ac antiquam inter Florentinas familias recenſeri, in eaq; ſemper & armis, & litteris viros, ac præſertim Poetas clariſſimos floruiſſe. conſpice igitur honorarium illud ſepulchrum in muro ſacrarij ferme penès illud Caminenſium conſtitutum, vbi armatum grauis armaturæ militem arte non facili excauatum in marmore ornatum auro comprehendes.*

A. *Item video, vbi ſanè in ſepulchro tum ſuperiùs, tum inferiùs ſunt memoranda, ſuperiùs inquam ſunt appoſitæ Cardinales virtutes Iuſtitia, Temperantia, Prudentia, & Fortitudo, & quidem altiùs præter Picturas piè diſpoſitas, vexilla cum aliis bellicis inſtrumentis: in marmore autem eſt hoc Elogium circumſcriptum.*

HIC IACET STRENVVS VIR BRANDOLINVS
DE BRANDOLINIS DE BAGNACAVALLO
COMES GEMELLARVM SANCTAE ROMANAE
ECCLESIAE CAPITANEVS.
QVI OBIIT ANNO DNI MILLES. TRECENTES.
NONAGES. SEXTO DIE XXVIII. OCTOB.
QVIVS ANIMA REQVIESCAT IN PACE. AMEN.

*Vbi*



*Vbi & inſignia gentilicia ſcorpionibus decorata, quod Elogium, quæq; inſignia in totum ferme ſimilia inferiùs in terreſtri marmore cognoſcuntur. Poſtremò ſubter hoc cænotaphio in laborato marmore hæc carmina exarata conſpiciuntur.*

CONSILIO POLLENS, VIR BRANDOLINVS, ET ENSE
DE BRANDOLINIS IACET HIC, QVEM BAGNACAVALLVM
EDIDIT, ECCLESIAE CAPITANEVS ATQVE GEMELLIS
EMERITA VIRTVTE COMES FVIT; ACTA PER OMNES
FORTIA LATVRVS INSIGNI NOMINE TERRAS,
NI PROPERANTE COLO RVPISSENT FILA SORORES.

B. *Quemadmodum Elogia ſunt clariſſima, clariſſimi pariter exiſtunt, fueruntq; omni ſæculo viri illuſtres ex Brandolinis. Niſi fallor, vir celebris iſtic tumulatus fuit ille Brandolinus Comes, qui in prœlio illo Viterbienſi Sfortiæ inuicto Duci aduerſarios miſerabiliter trucidanti ſeſe animo turgens oppoſuit, illumq; lethali vulnere percuſſit ad iugulum, quem illuſtrem Comitem poſtea cum in Capitonis Vmbriæ loci depopulatione vnà cum Gattamelata Narnienſi cepiſſet Sfortia, non quidem vti pri-*

 *uatum,*

uatum, aut publicum inimicũ retinuit, ſeu tractauit, quin imo humaniſſimè ipſum iurè pauidum ſecum ad menſam retinens priſtinæ ſuæ libertati reſtituit, gloriatus ſe à nobili, glorioſoq; Duce vulneratum fuiſſe. Non reticendus eſſet Tibertus Brandolinus, qui in Venetorum bellis ſe militiæ Ducem præſtitit formidabilem, perinde atque alij, & Brandolini, & Tiberti, & alijs glorioſis nominibus inſigniti. Sed quid Ego? an ignoras, Frãciſcum Sanſouinum omni hiſtoriarum genere celeberrimum nouam illuſtrium quarundam familiarum Italiæ chronologiam his poſtremis menſibus compilaſſe? inter quas præcipuè ſtrenuam familiam Brandolinam, præclaris militibus decoratam, vt æquum erat, extollit. quare ſat erit tibi in præſentia non neſcire illuſtrem comitem Brãdolinum Vallіſmareni cum circumuicinis locis eſſe abſolutum dominum, ac Patronum: illumq; exiſtere iandudum Excelſi Senatus Veneti perinde, ac fuerant eius maiores multi, cataphractorum Equitum Ducem, ſeq; ſemper glorioſum in cunctis prouincijs oſtendiſſe, ſicuti præſertim Hiaderæ, dum ſe ruenti Turcarum manui generoſo animo ſolus oppoſuit, quorum plurimos illæſus, vltra quam credi poſſit rem ferro cernens, uiriliter trucidauit: cuius ſtrenui Ducis impreſſa cum dicterio inſignia à Ludouico Dulci inter ea tot illuſtrium Principum Etruſcis carminibus declarata liceat nunc referre: ibi & palma, & laurus ſunt repoſitæ, quas felices plantas huiuſcemodi chirographum circumplectitur.

NON



NON QVI INCEPERIT, SED QVI PERSEVERAVERIT.

*Carmina autem iſtiuſmodi ſunt ſubnotata*

*Non chi comincierà l'inclite impreſe,*
*E poi ſtanco le laſcia, e l'abbandona:*
*O che non può ſtar ſaldo à le conteſe*
*Di Fortuna, che ſpeſſo irata tuona:*
*Ma chi con voglie in chiara gloria acceſe*
*Seguita inſino al fin l'opera buona,*
*Haurà la palma, e'l trionfal alloro,*
*E incoronato fia d'altro, che d'oro.*

*Huius inuicti Ducis miles grauis armaturæ, ac ſignifer animoſus Bonectus Cimauinus conciuis noſter, & familiæ, & patriæ ſplendor, Vir in militia peritiſſimus, calamum inuitat meum ad illius Magnificum Epitaphiũ in S. Martini delubro poſitum iſtuc iuremeritò reponendum. Ecce.*

GEN. ET INCLYTO BONECTO CIMAVINO ILL. COMITIS BRAN. DE BRANDOL. EQV. ANTESIGNANO, SVISQ. POSTERIS RESTAVRATVM. 1579. X. KL. FEBR.

Calleo

A. Calleo Equidem, quod opus, ſicuti aliàs fecit, colligit, ac ſtudioſe deſcribit doctiſſimus Sanſouinus: propterea ex illa Chronologia, qui maluerint de his; ſicuti & de Actioniis, & de aliis noſtris plura haurient. Sed liceat mihi alterum huius ordinis Epitaphium in Epiſcopali Ecclesia poſitum recenſere, quod & contemporaneum eſt cum Brandolino, & Præfecturam bellicam Taruiſinam declarat. quinetiam, ſi in huiuſmodi inſignibus eſt Scorpio, ibi in inſignibus Cancer, & in cono galeæ Chelæ comperiuntur, quod inſigne noſtrum pariter æmulatur: cuius tamen Elogij characteres ob continuum attritum fuère prorſus deſtructi.

HIC IACET NOBILIS MILES D:.:.C..S
DE STENICBERG DE STIRIA GENERALIS
CAPITANEVS CIVITATIS TARVISINAE
QVI OBIIT MCCCLXXXIII. DIE XXII.
MS IVLII.

Iam verò, ſi huiuſmodi operi hoc ſermone apicem imponere procuramus, vlterius recta uia ad cauædium commeemus. eſt hic disfractum marmor inſignibus, ac litteris cohoneſtatum, ſed mehercule neutrius cognitionem propter attritum conſequi valeo. procedamus. Extat in hoc rubeo marmore tale quid Epitaphium, quale hucuſque aliud numquam vidi. iam illud lego.

INSI-



INSIGNIA SVPRASCRIPTA INDEBITE ABRASA
IVSSV SVPERIORVM RESTITVTA.
AVGVST. VRSIN. IV. IVRIS DOC. COMITE
ET MILI. FILIO PROCVRANTE.

B. Iure merito id factum eſt. neq; etenim decet alterius monumenta, præſertim virorum nobilium, & illuſtrium, modo aliquo alienare. & equidem non mihi diſplicet illud Epitaphium, licet vulgare, quod ad D. Nicolai ædes ita in rubeo marmore exaratum conſpicitur.

MCCCLXVI. INDIC. QVARTA. SEP. D.
DNICI IVDICIS FILII. Q. DNI IOANNIS
DE MONICO. ET HAEC SEP. FACTA EST,
VT VNQVAM NVLLO MODO ALICVI
PERSONAE POSSIT VENDI, NEQVE ALI-
QVO MODO ALIENARI.

A. Quinetiam apud Antiquos id fieri conſueuit, vt ex hoc illuſtri marmore, Romæ poſito in ædibus D. Anaſtaſiæ fit legentibus manifeſtum.

MARCVS AVRELIVS ROMANVS ET AN-
TISTIA CHRESIMA VXOR EIVS FECE-
RVNT SIBI ET LIBERTIS POSTERISQ.
EORVM MONVMENTVM CVM AEDIFI-
CIO NEQVE MVTABITVR NEQVE VE-
NIET NEQVE DONABITVR NEQVE PI-
GNORI OBLIGABITVR SED NEC VLLO
MODO ALIENABITVR NE DE NOMINE
EXEAT FAMILIAE SVAE.

Et

B. Et id quidem iure. ſed ad præſcriptum elogiĩ reuertamur, commõſtraturi quales fuerint conciues noſtri Vrſinici: illuſtris itaque familia Luſia de Vrſinico non paucas paginas, ſed volumen ſatis amplum expoſcit: tot ex ea, tamq; præclari Viri, & eximij cunctis ſæculis extitere. aſt, ne ſimus prorſus ieiuni, ne uè monumenta male intellecta prætereamus, tibi non eſt ignorandum, hanc familiam Luſam, ſeu Luſiam dictam eſſe, vt etiam illud LV. in Elogio ſatis innuit, eiuſq; priſcos Alumnos fuiſſe Dominos Pedeuenæ caſtri in Feltrienſi circuitu, ut habetur de Bomſemplanto Luſa, deq; eius deſcendentibus Antonio, Paulo, Pardo Forcioro præ viribus appellato, Petro, Victore, Franciſcino, Bonacurſio, Bartholomæo, Io. Andrea, Hieronymo, Auguſtino, & aliis, qui ſua tempeſtate pro ſummis eorum meritis, & armis, & litteris glorioſi meruerunt, receperuntq; ampliſſima priuilegia à cunctis fermè, nedum Italiæ, ſed & aliarum regionum potentatibus. Propterea Henricus Imperator Anno Chriſti. 1313. Antonio, & Paulo Luſa fratribus, vltra opipara dona, concedit draconis effigiem, eoſq; conſiliarios Imperiales conſtituit. Hinc Clemens Pontifex in Auinionio Conſilio Petum, & Pardum fratres Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ proceres creat: quibus temporibus Ioannes Archiepiſcopus Vicecomes Mediolani Dux iis annuale prouiſum ſtipendium ad belligerandum contra Florentinos cõſtituit. ex hoc capite Carolus Imperator 1355. Victori, & Franciſcino Aquilam nigram auro coronatam

tam



tam ſuper caſſide deſtinauit. Galeatius Vicecomes Dux Mediolani effigiem Dulcis rubeæ in candido ſpatio per hos illuſtres Viros in inſignibus gentiliciis antiquitus eleuatam priuilegio confirmat. Ladiſlaus Rex Vngariæ & cæt. Salamandræ effigiem. Gregorius Rex Boemiæ catenæ aureæ, & mali punici inſignia. Kazmirus Rex Poloniæ vrſi pedem dexterum mordentis formam, vnde poſtea de Vrſinico fuerunt agnominati, contribuere. Federicus Imperator anno. 1481. Hieronymo eius phyſico, & Auguſtino legum peritia claro, fratribus, præter gradum Comitis, & Militis, præterq; munera ſuperbiſſima, litteras vocales collo Dulcis extenſas concedit: A. E. I. O. V. ſicuti in hoc, & in domiciliorum marmoribus exciſum cernis. Quarum ſignificatio talis dicitur.

AQVILA ELECTA IMPERIO OMNIA VINCIT.

Leopoldus Dux Auſtriæ, qua tempeſtate Taruiſio dominabatur, Bonſemplanto, & Bonacurſio fratribus annuam prouiſionem conſtituit, illis ab ærario Taruiſino erogandam. Prætereo memorari Diplomata aliorum Ducum Auſtriæ, Ferrariæ, Mantuæ, Mutinæ, Monferrati, Franciſci Sfortiæ, Franciſci de Carraria, Canis magni Scaligeri, Eugenij, & Pauli Pontificum, aliorumq; Potentatuum; ne te, & alios ſimul tanta Priuilegiorum congerie tædio afficiam, ac ſtupore.

A. Memini me vidiſſe in Cancellaria noſtra communi

Nn inſtru-

*inſtrumentum pacis inter Petrum Luſa, Philippum de Camino, & Franceſcutum Canem Scaligerum Anno Domini 1349. per Antonium de Morgano Cancellarium ſtipulatum.*

B. *Hoc poſtremum omnium velim te non latere, hos inquam illuſtres viros, cum alioqui eſſent conciues noſtri, anno 1474. creatos fuiſſe Nobiles Taruiſinos per ampliſſimum Priuilegium Nicolai Marcelli Principis Venetorum. Cæterùm iam ad Epitaphium, unde digreſſi fuimus, deſcendamus, in quo quidem de Auguſtino Luſa iuris Doctore mentio habetur, vt cernis, qui ſanè, dum orbem diù clariſſimus perluſtraſſet, in patriam reuerſus, cum cerneret Maiorum eius honorificum monumentum perperam ab aliis vſucaptum fuiſſe, &, quod peius, irreuerenter litteras cum inſigniis abraſas eſſe, illud Romæ cum Pontifice Maximo fuit operatus, vt ſummo illorum temerariorum dedecore in priſtinam formam cum nota huiuſcemodi exprobratoria hæc omnia reſtituerentur. tanti refert falcem (quod aiunt) in alienam frugem inſerere.*

A. *Vndenam ſodes tot illuſtrium horum hominum memorabilia, ò amice dulciſſime, es expiſcatus?*

B. *Iam referam. hic Auguſtinus, cuius Pater Io. Andreas & Medicus, & vtriuſque cenſuræ Doctor extiterat, filiam habuit Catherinā, Aloyſij Bartonij coniugem, quæ inſignem medicum genuit Io. Franciſcum Bertoniū conciuem noſtrum mihi peramicum, cuius familiæ mortuos, iam extincta Vrſinica, hoc monumentum ſequitur, à quo ſanè hæc omnia ad illum iure hæreditario deriuata diligentia ſumma cuſtodiuntur, nempe cuncta hæc priuilegia, Principum Epiſtolæ, crux aurea lapillis pretioſis ornata, monile, aurea Salamandra, mucro auratus purpureo ſerico indutus, & alia multa.*



A. *Iam recordor Ludouici Bertonij memoriæ vnius, quæ ad moenia Portus Buffoleti caſtri iuxta Liquentiam fluuium adhuc appenſa conſpicitur. quo in Oppido pro Venetorum Dominio Prætoris locum tenebat, ut etiam inter arma publica ſub veſtibulo in quinto loco conſpicitur regiſtratum. memoria itaque in marmore mœniorum eſt huiuſmodi.*

MCCCCXXV. DE MENSE IVNII,
TEMPORE EGREGII DOCTORIS D.
LODOVICI BERTONO DE TARVISIO
FACTVM FVIT HOC OPVS IN XI. DIEBVS.

B. *Fuit hic Abauus iam dicti Medici noſtri. Sed quod reliquum eſt illorum de Vrſinico iam abſoluamus. Extat ad D. Margheritæ muros arca marmorea, ſub amplo teſtudineo fornice columnis ſuffulto, ad cuius oram hæc pauca ſunt exarata.*

S. NOBILIVM COMITVM DE VRSINICO LVSA
QVI VIRTVTIBVS FLORVERVNT. V. F.

*Ad fornicis autem periferiam hæc duntaxat potuerunt legi.*

. . . . QVI VARIIS DIGNITATIBVS, ET PRAEROGATIVIS CVM SVISQ. POSTERIS IN PERPETVVM A MVLTIS PRINCIPIBVS DECORATI FVERVNT.

*Porrò ad D. Petri pro foribus, inter mirabiles illos leones marmoreos ſummo artificio elaboratos, de quorum myſterio Pierius Valerianus primo Hieroglyphicorum libro, quem ſanè quingentis Heroicis carminibus reductum Illuſtriſſimo Georgio Cornelio Taruiſij Epiſcopo dono dedi, extat hoc monumentum.*

DIVI CAESARIS FEDERICI PHYSICVS HIER. VR. LVSA DOCTOR, MILES, COMES, P. O. Q.

*Itidem ad D. Nicolai Templum ante illud Altare à ſummo Pontifice Gregorio XIII. priuilegiis illuſtratum extat in rotundo marmore Epitaphium iſtiuſmodi.*

EX LEGAT. D. CATHE. ET D. IO. AND. PHY. NEPOT.
DE VRSI. ALTA. ET SEPVL. VINCENT. BOLOG. HAER. PATER. F. C. MDLV.

*Sed iam mentem noſtram ad Franciſcanorum Epitaphiorum reliquum colligamus.*

*Con-*



A. *Contentus adſum. verumtamen, hoc Franciſci de Serrauallo in aliud tempus Epitaphio cum adiacentibus prætermiſſo, videamus marmor id renouatum; & Epitaphium perlegentes, ſi quid memoratu dignum videtur, in medium conferamus.*

BERNARDINO TVRRIO COMM. TAR. CANCELL. ET MARIETAE A TEMPLO GENITORIB. OPT. ET DVLCISS. MONVM.
QVOD HENRICO PROAVO EX ANTIQVA RATISBONAE FAMILIA BENEVENVT. AVVS CONSTRVXERAT MDXIIII.
FILII MOESTISS. RESTAVRARVNT MDLXXIII. SIBIQ. AC POSTERIS AD EXTREMAM DIEM.

B. *Turrij iſti optimi conciues noſtri, tabellionesq; diligentes, ac ſeduli, quorum Auctores antiquitus è Ratisbona huc emigrarunt, hunc Bernardinum habuerunt patrem, qui per annos 36. vſque ad eius vitæ exitum meritiſſimò noſtræ Reip. Cancellarius extitit, qui inquam ſex filios reliquit: horum tres Doctoratus lauream pro laborum meritis ſunt egregiè conſecuti, tres autem in tabellionatus dignitate perſiſtunt. Vnus ex prioribus Marcus nomine fuit Romæ ſummo nunc viuenti Pontifici Gregorio XIII. dilectiſſimus, adeo ut, dum Papa creatus eſſet, atque hic illi pedes oſcularetur, ei ex tempore ducentos aureos*

reos dono dederit. hic ſummi Senatoris deſignatus primus Collateralis & onera, & honores alios multos recipiens moritur, dum ei fœliciſſimi dies cœperant illucere. Beneuenutus ob iuris Canonici peritiam candidatus clericalem vitam amplexus fuit. Porro Ioannes hic Taruiſii vtriuſque iuris ſcientiſſimus, ac Orator acerrimus præſertim in reorum patrocinijs, ab omnibus ſummo ueneratur honore: hic inquam innumera antiquitatum monumenta collegit, vt, ſi ei à publicis munijs ocium cederetur, ille vnus eſſet aptiſſimus ad Taruiſinam hiſtoriam conſcribendam. nunquam enim à litteris permanet feriatus. vt propterea conſultationes multaq; alterius generis ſcripta, breui forſitan per eum edenda, quinimmo, ſi quandoq; à ſeuerioribus legum ſtudijs reſpirat, ad Muſarum choros, veluti earum gratus alumnus, decimam ſoluens præcinendo diuertit.

A. Memini me vidiſſe Priuilegium anni 1511. ab excelſo Venetorum Senatu conceſſum Antonio à Templo patri Marietæ in Elogio recitatæ, propter quod ei cum deſcendentibus in perpetuum centum uiginti aureos conſtituit annuos, maioremq; in Ciuitate gradum condonat, vt ſingularis eius fidei, meritorumq; non vulgarium rationem haberet, eumq; aliqua ex antiquo Reip. inſtituto gratitudinis, & affectus forma complecteretur.

B. Scio equidem hunc Antonium tale diploma, talemq; cenſum promeruiſſe, dum ijs temporibus pro Rep. Veneta in vrbe noſtra tutanda egregiè laboraret: quinetiam vidi hiſce oculis apud iam dictum Ioannem iuriſconſultum mihi inter amicos præcipuum illud vexillum, quo hic Antonius vſus fuit. his autem omnibus nunc potiuntur hi fratres Turrij, & ob id Sereniſſimo Principi ſummopere diliguntur. Porrò alteri huic monumento tale Epitaphiũ reponi decretum eſt, me quidem ſuadente, vt dilectæ ſocrus meæ memoria propagetur.



LVCIAE ISTRANIAE MVLIERI INTEGERR.
FRANCISCINA MARTINIACA NOB. TARV.
SORORI VNANIMI
QVAM TVNC DOLOR DESERET INTESTINVS,
CVM CLEMENS MORS ILLAM ASSEQVETVR.
V. P.
BARTH. BVRCHELATO DOCT. PHYS.
DEFVNCTAE GENERO PROCVRANTE.
ANNO SAL. MDLXXXIII.

A. Suberit aliquando ex his ſermonibus admirari, te breui tempore duas coniuges deduxiſſe, Heliſabetham nempe Amiconiam, quam iure diutius deploraſti, & Liberam ex familia Iſtrania inter Ciues Tabelliones antiqua, & armis, & magis litteris, quinetiam numeroſis alumnis continuè glorioſa, quam Euryali filiam, Niſi, Proſauiæq; ſororem, amore ſummo proſequeris: & quomodo, citiùs prioris coniugis fermè oblitus, ad ſecunda vota tranſieris, iuſtis vix dum abſolutis.

B. Immo ſuberit contẽplari, quomodo in huius operis exordio

dio deceſſerit prior coniux, in fine autem alteram deſponſarim. interea attamen longius vnius anni ſpatium interceſſit, vt non difficilè in hoc etiam penſitando opere colligitur, nec propterea prioris oblitus ſponſæ ad amandam alteram me conuerto, iuxta illud commune Ouidij,

Succeſſore nouo vincitur omnis Amans.

Nam Amor hic coniugalis, ſicuti in hanc perdurat, itidem in alteram perſeuerat. an non legiſti Petrarcham viuentem laurum, fortemq; columnam in ſinu eodem tempore confouiſſe? Amo igitur Amiconiam vti dilectam vxorem in cælis, diligo Iſtraniam vti coniugem diligentem in Terris, pro qua non metuam mori, ſi parcent animæ fata ſuperſtiti, adeo vt cum hac viuere amem, cum illa obeam libens: & vita, & mors, vt Deus tulerit, mihi Philoſopho nunquam fuerit pœnitenda. cur autem diu per annos multos in viduo lecto noluerim iacuiſſe, memineris, quòd dulcis Amor prolis. volui igitur experiri, an vltra Io. Baptiſtam, & filios alios legitimos, dum ætas, & robur ferret, mihi Deus voluerit condonare.

A. His autem ſtantibus, quid de matertera Franciſcina muliere incomparabili?

B. De matertera, immò, poſt eius ſororis obitũ, vera matre coniugis meæ referam vnum, illam nempe vſqueadeo coniugi ſuo Magnifico M. Antonio Martiniaco patricio Taruiſino pro ſui virtute, ac integritate dilectam fuiſſe, ut, dum ab humanis decederet, ſibi eam, quoad vixerit,





xerit omnium bonorum ſuorum æqualem inſtituerit hæredem cum Iſabella filia vnica Ioanni Bonifacio Rhodigino nobili ex gente nato legum Doctori clariſſimo in matrimonium copulata, à quo dilecti conciues mei Taruiſinam hiſtoriam, quam ſummo ſtudio nunc proſequitur, expectate.

A. Tali ingenio dignum opus. ſed videamus rogo quinque illa varia, operoſaq; inſignia in muro poſita, vbi Turres, leones, pila cum liliis, aliaq; conſpiciuntur.

B. Dum eam contemplaberis, ſcripturam legam, & poſtea colloquemur.

HIC IACET GENEROSVS VIR DN̄VS FRANCISCHINVS DELLA TVRRE FILIVSQ. EGREGII DN̄I AMORATI NATI. Q. MAGNIFICI DN̄I GVIDONIS DELLA TVRRE OLIM DN̄I MEDIOLANI. QVI DN̄VS FRANCISCHINVS OBIIT MCCCCLXXIII. DIE VLT. AVGVSTI.

Forteſortuna à me Turrianorum hiſtoriam expectabis. an ignoras nos ſermonis noſtri exitum procurare? huius tanti ſtemmatis alumnos debita oratione complecti eſſet maius protracto hucuſq; conſtruere opus: nihilominus, ſi aliquis hæc ſcire cupiet, ille ad Paulum Iouium, in Vicecomitum vitis felici calamo percurrendis diligentiſſimum, ad Bernardinum Corium Mediolanenſium hiſtoriarum ſcriptorem accurratiſſimum, ad Eloquentiſſi-

mum Sanſouinum in eius Chronologiis, præterquam ad alios deriuabit: audi ſodes, quot clari homines eſſent referendi. Raymundus, Martinus, Paganus, Philippus, Franciſcus, Iacobus, Napus, ſeu Napoleon, Corradus Muſca vocatus, Caſſonus, Andreas, Ereccus, Andræottus, Guido, Cauerna, Gottifredus, Napinus, Simon, Paſſerinus, Franciſcinus, Amoratus, & alij multi his, aliiſq; nominibus initiati: quorum plurimi ſtrenui Milites, Comites, Præfecti, ac bellorum Duces extitiſſe legũtur: plures præterea Docti homines, Epiſcopi, Archi Epiſcopi, Patriarchæ etiam Aquileiæ fuiſſe comperiuntur.

A. Martinus Turrianus à Mediolanenſi populo Pater Patriæ dicebatur. hic præcipuus (liceat id nunc profari) contra Eccelinum de Romano Tyrannorum quippe apicem Mediolano exiens cum exercitu inter ſuos fœderatos, & Addam fluuium clauſit Tyrannum, vicit demum, ac profligauit, qui ſanè Eccelinus, ſiue AZzolinum dicas, nihil moror cum Iouio, ægrè vulneratus in pede nullum admittens remedium præ rabie moritur.

B. Satis igitur in præſenti nobis erit non ignorare, quod & omnibus palam eſt, Turrianos fuiſſe Mediolani Dominos, vt etiam hoc Elogium manifeſtat: quin etiam per aliquod tempus Bergomi, Cremonæ, Nouocomi, Laudi, aliorumq; locorum plurium. Sed, quæ temporum eſt uiciſſitudo, à fortioribus, ſeu forſan callidioribus Vicecomitibus ſuperatos, extorres, ac exules aliò fuiſſe tunc per Italiam diuagatos, non aliter, atque Vicecomitibus quandoque

que



que obtigit, quorum quippe alterutrorum aliqui ſe ſe Taruiſium receperunt, atque ij humaniter infra Nobiles ciues recepti ſunt: quorum qui communem experientes calamitatem hic Taruiſij decedebant: ſicuti generoſus vir nominatus in Elogio Franciſcinus, & alij, in hoc inferius ſanè monumentum recondebantur.

A. Huius Auus Guido in Elogio poſitus ille fuit, ni fallor, qui Mediolani perdidit Principatum, dum ſcilicet Henricus Imperator ibidem fuerat coronatus. Sed & Vicecomitum monumentum in mente mea hoc ſermonis ordine ſuſcitaſti, quod en tibi ex graui marmore ſerpente crura infantuli deuorante inſignito ad fanum D. Margheritæ poſito iſtuc nunc defero.

IN NOMINE DOMINI AMEN. SEPVLTVRA NOBILIS VIRI DÑI FRANCHI FILII CONDAM DÑI MARCI DE VICECOMITIBVS DE OLEGIO, ET SVORVM HAEREDVM. QVI OBIIT MCCCLXIII. XI. MENSIS NOVEMB. INDICTIONE SEXTA CVIVS ANIMA REQVIESCAT IN PACE. AMEN.

B. Memini illius Sarcophagi apud Sacrarium: Prrò & celeberrimus legum Doctor Aldigerius della Turre Taruiſij uitam commutauit cum morte, ſi huic Epitaphio credimus, quod ad eiuſdem D. Margheritæ baſilicam in honorifico, ſciteq; excauato cum doctoris effigie cenotaphio eſt conſtitutum.

Oo 2 S.

S. NOBILIS, ET EGREGII LEGVM DOCTORIS DNI ALDIGERII DELLA TVRRE DE CENETA QVONDAM EGREGII, ET NOBILIS VIRI DNI GALEATII DELLA TVRRE, ET HAEREDVM SVORVM.

QVI OBIIT IN MCCCLXXXXVIIII. DIE XXVIIII. MEN. DECEMBRI.

A. *Nunquid hi fuerint ex Turrianis Mediolanenſibus, ſum ualde dubius, tum quia hic non de Mediolano, ſed de Ceneta referuntur, tum etiam quoniam inſigni turris adiunctos hinc inde video leoninos pedes.*

B. *Ne vlteriùs te ancipitem præſtes, quandoquidem te haud quaquàm latere debet, quòd poſt Iurrianorum à Mediolano exterminium, ij à locis, quibus appulerant, poſtmodum denominabantur, ueluti etiam Auguſtæ Taurinorum, vt notat Philibertus Pingonius in eius vrbis antiquitatibus, ac familiis recenſendis. iſti itaque quoniam antea ſeſe Cenetæ contulerant, ubi etiam nunc retinēt poteſtatem, de Ceneta in Elogio referuntur, tametſi hic Aldigerius fuerit etiam inter ciues Taruiſinos maioris gradus admiſſus, & inter tercentum ſummos conſiliarios eum inuenio regiſtratum, & erat de quarterio vltra Cagnanum (in quatuor enim ſectiones, ſeu quarteria erat tunc temporis diuiſa ciuitas noſtra, ſcilicet de Domo, de Medio, de Ripa, & de vltra Cagnanū) quod igitur deinde ſpectat ad inſignia gentilicia, ne mireris illud additamentum, quandoquidem, ſi hanc rem ſubtilius examinabis, comperies domeſticum Turrianorum inſigne varium extitiſſe, nomen autem ſempiternum: quocirca ex Galliæ Regibus originem deducentes (vt recitat Sanſouinus libro Chronologico nunc nunc edito) ex illis vnus ſe contutulit in Burgundiam hic ſponſam habuit Dominam ex illis Ducibus, cuiuſdam in ijs locis ſtatus hæredem, qui in hodiernam diem in ea Prouincia dicitur della Turre, hic dictus fuit Dominus della Turre, hic duos gemellos ſuſtulit, quos Viros nobiles dum nubiles ſpectaret Taccius Comes Vallisſaxinæ apud Comenſem lacum, duas cum & ille duntaxat filias enutriret, eas præclaris adoleſcentibus in matrimonium copulauit. mortuo ſocero, hi Comites Vallisſaxinæ remanſerunt, nihilominus Turrianorum cognomen non permutarunt: cum attamen Soceri inſignia, Leonem ſcilicet, aſſumpſiſſent, quo vſus fuit Paganus, qui primus eius familiam ſtrenuis operibus dicitur exaltaſſe, cuius filius Hermanus, memor antiquæ originis, quæ à Galliæ Regibus dimanabat, lilium aureum in cœruleo æquore ſuſcitauit, alij porrò, vt inſigne nomini pariter reſponderet, Burgundiæ antiqua ſigna, turrim nempe rubeam in campo luteo reſumpſerunt, cui quidam alij addiderunt ad modum crucis duo lilia complicata, alij poſtremo ſublatis lilijs nigram Aquilam in campo croceo ſuper turrim repoſuerunt: quare non ſit mirum, ſi huic, ſiue eius maioribus libuit, relictis alijs circumſtantijs, ſeruata turri, æque ac ſeruato nomine ad eius radices, aliqua mihi nunc incognita ratione, leoninos pedes adiungere: tantæ*

tantæ autem varietatis cauſæ, & accidentia varia, & varia merita, quin & ingenia varia ſolent eſſe; de quibus potes conſulere Fabricium Palmerium, Laurentium Laurentianum, Sicillum Araldum, Bartholomæum Caſſaneum, Paulum Iouium, quinetiam Alexandrum Farram, qui de inſignibus ſymbolicis ex antiquis Philoſophis, Cabaliſtis, & Thalmudiſtis plura in ſeptenario eſt prolocutus.

A. Concedo equidem. ſed nunc de hac inſignium, ſeu armorum varietate obſecro aliqua referas, ne adeo ieiunus, ac vacuus ab hac menſa recedam.

B. Breuitati conſulens, & Dialogi finem ſpeculans, pauca certè nunc tradam: verùm, ſi vlteriùs aliquid cupies, ſeorſum de his longiorem tecum ducere orationem minùs grauabor. hoc itaque propoſito inſeruiens, dicam duntaxat: Inſignia vel ex coloribus tantum eſſe compoſita, vel ex alijs rebus omnis generis impoſitis efformata: priora quidem veniunt vt plurimum propria inuentione diſpoſita, quippe qui innocentiam inſigni proprio voluerit demonſtrare album colorem, qui dominium rubeum, ſeu purpureum, qui mærorem, vel calamitatem aliquam nigrum, qui ſpem colorem viridem reponebat, ſicq; de alijs aſtruēdum, ſicuti & qui compoſitos affectus, effectusuè denotare maluerit, compoſitis diuerſimodè coloribus, ſignis, & lineis in inſigniis exprimebat.

A. Pace tua, Amice dulciſſime, inceptam prouinciam interturbo, quandoquidem occaſio facilè præteriret: memini

ni



ni me de his coloribus apud Andream Alciatum in Emblematibus hos verſus cultiſſimos inſtituto ſermoni apprimè opportunos legiſſe.

Index mæſtitiæ eſt pullus color: vtimur omnes
Hoc habitu, tumulis cum damus inferias.
At ſinceri animi, & mentis ſtola candida puræ
Hinc Syndon ſacris linea grata viris.
Nos ſperare docet viridis, ſpes dicitur eſſe
In viridi, quoties irrita retro cadet.
Eſt cupidis flauus color, eſt & amantibus aptus:
Et ſcortis, & queis ſpes ſua certa fuit.
At ruber armatos equites exornat amictus,
Indicet & pueros erubuiſſe pudor.
Cæruleus nautas, & qui cæleſtia vates
Attoniti nimia relligione petunt.
Vilia ſunt giluis, natiuaq; vellera birris,
Qualia lignipedes ſtragula habere ſolent.
Quem curæ ingentes cruciant, vel Zelus Amoris,
Creditur hic fulua non male veſte tegi.
Quisquis ſorte ſua contentus, ianthina geſtet,
Fortunæ æquanimis tædia quique ferat.
Vt varia eſt natura coloribus in gignendis,
Sic alijs aliud: ſed ſua cuique placent.

B. Commodè proculdubio. porrò in inſignibus animalia terreſtria, aquatilia, volatilia, horum partes, arbores, flores, fructus, inſtrumenta varia, & innumera propemodum corporum genera concluduntur: idque faciunt

ciunt

ciunt aliqui, vel factum à maioribus retinent, vel alios æmulantur: abſurda aliqui commentantur, ut quandoque humano capiti equinam ceruicem varijs plumis diſſeminatis ſuper collata membra compingant, ut denique portentum id turpiter in atrum, ridiculumq; deſinat piſcem: quod de ignaris ſcriptoribus dixerat Flaccus. Porrò alij inſignia dono accipiunt, acceperuntvè ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, Ducibus, quiqui fuerint, aliqua, quæcunque illa fuerit, ratione: propterea viri fortes, ac ſtrenui Leone, ſeu Leonibus donabantur, ſimplices columba, incolumes delphino, præſtantes, atque inter alios virtute excellentes roſa, quæ inter alios excellit flores, meritò donabantur. idem de alijs ſupponamus. quapropter aſſerunt quidam inſignia Hectoris fuiſſe duos leones aureos in campo rubeo. Achillis item duos leones purpureos in vacuo argenteo. Aeneæ inſignia tres roſas purpureas in argenteo æquore, & alia aliorum illuſtrium virorum inſignia. quæ quidem referre, inſtituto noſtro operi non ſatis arridet. Propterea, ad Turrianos reuertens, non prætéribo Phœbum de la Turre fuiſſe anno ab ortu Chriſti 1321. Taruiſii Prætorem clariſſimum: cæterùm ad præſens illuſtres horum deſcendentes de la Turre, & Cenetæ, & Vtini, & circumuicina iis oppida inhabitant, & Comitatus poſſident honorificos, ſicut & feraciſſimos, & benigniſſimi Comites, perinde atque generoſi, ac ſtrenui Milites ab omnibus reputantur, non aliter atque Reuerendiſſimus Michael Turrianus Cenetæ Epiſcopus benigniſſimus

nigniſſimus



nigniſſimus à cunctis colitur, ac iuremeritò veneratur, cui doctiſſimo Viro Paulus Nauius illos Imperatorum miros panegyricos ante annos aliquot deſtinauit.

A. Hæc pro noſtri operis inſtituto ſatis erunt; modò ſi quid aliud à nobis eſt referendum ſpectemus: eſt huic vicinum marmor hoc affabrè renouatum, cuius litteræ ſunt huiuſmodi.

SEBASTIANVS A FERRO MORIBVS, ET PIETATE NVLLI SECVNDVS, PARENTIBVS, ET DEFVNCTIS FRATRIBVS, SIBI, CAETERISQ. SVIS PIISSIME POSVIT.

DIE XIX. MEN. APR. MDXLIIII.

B. Hæc familia, quæ & à folio dicebatur, vt etiam in gentilicio inſigni anaglypho opere cernis elaboratum, ante non multos annos ſicut antiqua, ita & ditiſſima noſcebatur: quod vel ex illuſtri palatio ſumma impenſa ſupra flumen è regione ædium R. Canonicorum Regularium ſtructura mirabili fabricato, procul omni dubio eſt arguendum: plures ex ea fuère digni homines, ueluti etiam in Epitaphio præmonſtratur: Sed operis coronidem procurantes, tametſi Ego cũ hac familia non leui conſanguinitatis vinculo ſim obſtrictus, ad alia vlterius procedamus.

Lego hoc proximum diſtichon, & ſtatim ad illud nouum marmor accedo: audias amabo.

Pp HOC

HOC SITVS EST TVMVLO FALZONVS SCRIBA FIDELIS HINC CHARITES MOERENT, ET LEPOR, ATQ. SALES.
M D I X.

MARINAE SECALANAE IO. BAP. IVREC. F. ET QVIBVS IPSA TESTAM. MANDAVIT. COLLEGIVM IVDICVM TAR. P.

B. *Vt ſuo lepori, ſuæq; claritati diſtichon deſinam, Fuit hæc mulier, quam nouimus ſeniorem, vt recitat Epitaphium, Doctoris celebris Ioanniſbaptiſtæ Secalanæ filia, vxor autem Franciſci Zucchati, quæ quidem in omnibus fermè eius bonis ſpectabile amplumq; collegium iuriſconſultorum Taruiſij ſibi aſciuit hæredem, tanta erat apud ſapientem mulierem in doctos homines patri ſimiles affectio, ac reuerentia. verumenimuerò iſtac ad illorum de Nouello Epitaphium lectitandum pedem vltimò conferamus. ſatis enim hoc aliqua adhibita diligentia expedito ſeptimum hunc ſermonem noſtrum nos produxiſſe putarem.*

A. *Adſum præſtò, & hilari animo, ſi quidem percepi in hac familia Egregios Viros omni tempore floruiſſe: ſed vnum rogo, vt permittas me illud marmor tetragonum contemplari, vbi ſanè ante nonnullos menſes infelix virgo Flammetta Vindelia, præ ingenuo dolore ob trucidatum fratrem emortua, fuit cum omnium fermè lachrymis tumulata.*

ANGE-



ANGELAE FABRAE CONIVGI BENEMERITAE IOANNES BLANCVS VENETVS MARITVS, ET IOANNES ANTONIVS VINDELIVS HAERES POSVERE.
S. N. S. MDIII.

B. *Vide quid feceris, octo hoc Epitaphio à me carmina protinus extorſiſti. tunc etenim Ego, pulcherrimæ virginis miris virtutibus inſignitæ, ſi vnquam alterius, toto æui tempore obſeruantiſſimus, dum conderetur, hæc pauca, ſanè breuiùs, quàm res poſtulat, exaraui.*

Flamma coruſca ſuo crepitat priuata liquore,
Iamq; cadit, ſecum lumina cara cadunt. (bem
Extincta eſt FLAMMA illa, vagũ quę aſſueuerat or
Reddere, iam tenebræ cuncta creata tegunt.
Ah ſors noſtra, nimis miſerãda, occũbimus omnes,
Fœmina, Vir, Iuuenis, Virgo, Puella, Senex.
Virgo vale formoſa pijs virtutibus alma,
Iam te ſuſcipiat cuncta beata cohors.

A. *O quam dulcè, quam ſuauè, quam miſerabiliter flebilia carmina ceciniſti. Et iure etiam Vindeliorum mentio facta eſt, vti eorum, qui inter muſicos, præcipuè tamen inter fidicines, ſemper meruerint primas ſedes. ſed minimè valeo præterire iſtud alterum Epitaphium noſtrorum ciuium.*

S. OLIVERII, ET FRATRVM DE CAMPRETO.

 B. Iure

B. *Iure inquam.nam & Hieronymus Iureconſultus, & Franciſcus Phyſicus, Tergeſti nunc Protomedicus, huius familiæ clari quidem alumni, Muſiciq; clariſſimi non erant vllo pacto prætermittendi.*

A. *Iam verò pedem referens Nouelliorum Epitaphium lego.*

PROSAVIVS NOVELLO EQ. OR.
MA. SARACCAM VX DILEC. SECVM HOC TVMV-
LO AD NOVISS. DIEM REPONI MANDAVIT.
VIXIT ANN. LXXVIII. M. D.
OBIIT ANNO SALVTIS M. D. LVIII.
POSTRID. CAL. NOVEMB.

B. *Coronidem, ſupremamq; manum huic operi impoſiturus, quædam de hac generoſa familia per vniuerſam Italiam optime cognita, quinimmo de præclaris viris ſingulari memoria dignis, pace defeſſi lectoris, breuibus ſanè dicere experiar. Quocirca te haudquaquam latere debet, apud nonnullos hiſtoricos Nouelliorum honorificam memoriam reperiri: videre eſt apud Nizolinum in hiſtorijs Neapolitanis, quid de Matthæo Nouello anno Domini 1145. in Sicilia milite ſtrenuo referatur, quid de Vgolino Nouello in Piceno, dum cohorti bellatorum Romanæ Eccleſiæ Præfectus fuerat. non eſt reticendus Iulianus de Nouello anno 1293. prætor Florentiæ, cuius pudiciſſima filia Gaya nomine cum ſpectabili Iuris Doctore Guecellone Tempeſta Epiſcopatus Taruiſij ſummo*

*Ad-*



*Aduocato fuerat in matrimonium collocata. Prætereo plures alios huius ætatis homines claros: nō tamen intactum derelinquam Bartholomæum Nouellum factum Baſſiani incolam, qui Franciſci de Carraria Iunioris ſtipendia ſtrenuè merebatur, cui attamen inauſpicatò contigit amittere bona omnia, dum Ioannes Galeatius Vicecomes Mediolani Carrarienſem ſuperaret in bello: qui nihilominus virtute ſua ſibi alia bona multa poſtmodum conquiſiuit. Nec reticebo ijdem temporibus Alexandrum, & Anaſtaſium ſummos Doctores, & conſules ſumma onera Reip. noſtræ ſuſtinuiſſe, ita Iulianum alterum cum Giuno Menegaldo iudicium maleficiorum adminiſtraſſe, vt in maiori Cancellaria comperimus connotatum. Præterea anno 1480. Floruit Gaſpar Nouellus Excellentiſſimus Iuriſconſultus, Brixiæ, Bergomi, atque alibi clariſſimorum Rectorum Vicarius admirabilis, perinde atque Franciſcus Nouellus Canonicus Taruiſinus fuit circa ea tempora Reuerendiſſimi Epiſcopi noſtri Vicarius, cuius Epitaphium in cathedrali templo repoſitum cernitur tale.*

FRANCISCO NOVELLO CANONICO TAR.
LIBERALIVM ARTIVM. IVRISQ. PONTIFICII
PROFESSORI.
HAEREDES EX TESTAMENTO POSVERVNT.
H. M. H. N. S.
M. V. IIII. VII. ID. NOVEMB.

A. Oc-

A. Occurrit memoriæ meæ legiſſe, me in certis annalibus circa annos 1270. Proſauium de Nouello Cenetæ Epiſcopum extitiſſe, atque demum anno 1291. occubuiſſe Taruiſii Pontificem, Clero, ac Populo æquè gratiſſimum, virum ſanè amore benignum, conſilio prouidum, iudicio perſpicacem, virum inquàm miræ pietatis, ſummæq; integritatis; cuius antiquum Elogium Leoninis verſibus, qui fuerant illius ſæculi mores, ita ſibi inuicem reſpondentibus à Cathedrali Eccleſia repetamus.

ANNO DNI MCCXCI INDICTIONE QVARTA DIE LVNAE QVINTO INTRANTE NOVEMBRI.

Veridicum nomen nunc clauſit cælitus omen
Omnibus huic cura & fuerat ſua reddere iura,
Non aliquos quæſtus queres, nimis ipſe modeſtus,
Vrbis honorator, diuinæ legis amator.
Mirandus Præſul Prœſaui, nunc uelut exul
Prodijt ex gente TRIVISINA ſtirpe decente.
Hunc igitur ſume ò tecum cæleſtis alumne
Quos rexit ſerua ſic, ne ſint vlla proterua.

B. Scio vtique me plures illuſtrium horum hominum breuitati conſulens præterire, quinetiam alia tria Epitaphia in Epiſcopali Baſilica conſtituta: alterum quidem Proſauij Anno 1326. alterum Ludouici Nouelli 1493. nominibus inſignita, tertium porrò Ioannis Nouelli Canonici Taruiſini Protoq; Notarij Apoſtolici 1582. Et apud Franciſcanos obſeruantes alterum Iuliani Nouelli nunc



nunc prætereo. ſed illud Baſſiani poſitum ſanè apud Fratres Minoritas certè non præteribo, audi.

NOBILIVM POLENSIVM PRIMO, NOVELLORVM DEINDE HAEREDITARIO IVRE: QVORVM MEMORIAE BENEDICTVS NOVELL. DOCTOR, ET FRATRES LAPIDEVM HOC TEGVMENTVM VTRIVSQ. FAMILIAE INSIGNIBVS, ET SVIS NVMIS IVSSERVNT ORNARI. ANNO SALVTIS DD- DVI.

Nec intactum pariter derelinquam Aloyſium Nouellum, qui quidem ante centum Annos in bello Ferrarienſi ducentorum militum Præfectus pro Venetis glorioſè certauit, glorioſiùs autem in obſidione Roueretì, ubi cum Germanis fortiter pugnans meruit, vt à Senatu Veneto centum viginti aureorum annuo munere, dum viueret, liberè donaretur. Floruit viginti poſt illum annis Hieronymus Nouellus miles ſtrenuus, Dux Equitum Venetorum, qui cum eius filio ad flumen Liſontium in Foro Iulio acriter decertando, atque inimicos viriliter trucidando, nihilominus ab occultis Turcarum latis inſidiis circumuentus fuit cum filio, & alijs infeliciter interfectus. quod refert Sabellicus lib. x. Tertiæ Decadis de Venetorum Geſtis. Hic prætermitto Phyſicos, & Iureconſultos clariſſimos, vnde mihi contracta fuit conſanguinitas, ne longa nimis verborum ſerie tui ipſius aures defatigem.

A. Ex-

A. Expectabam, vt duos huius familiæ alteros inſignes homines memorares, illum ſanè, qui in Franciſcano Epitaphio recenſetur, atque Aloyſium Medicum noſtrorum temporum præter alios.

B. Iam ad illos deueneram, aſt ſumma breuitate rem hãc perſtringo. Fuit iſte præclarus medicus, & mei amantiſſimus, ſicuti nunc exiſtunt illius filij, qui ſanè, dum ante ſeptennium Collegio Medicorum adiungerer, Prior meritiſſimo præſidebat. Porrò magnificus Eques Proſauius, de quo in Elogio, & familiæ, & patriæ ſua tempeſtate ſplendor extitit. refert Paula mater mea, quæ tunc apud Maphæum de Albertis eius patrem in eadem cum Equite vicinia morabatur, ſed & omnes referunt, qui nouerunt, hunc ſplendidum virum regio victu, Senatorioq; ornatu, morumq; integritate ſibi omnes propemodum ſtudioſos, ac beneuolos effeciſſe. Plures hic habuit coniuges, ſed hanc præter alias, quam ſecum voluit inhumatam Marinam ex Saracca familia inter Venetas non vulgari. quorum iugalium filia Magdalena ex Illuſtri Equite Franciſco Sammartino Scipium edidit, mihi pariter cum Lauinia Iſtrania eius dilecta coniuge vita functa conſanguineum ſingularem, quem vnà cum Regina eorum vnica gnatula ſummo, prout decet conſanguineos, amore proſequor alternato. Complura alia, quemadmodum te iamdudum obſeruaſſe crediderim, monumẽta in hoc honorifico Cœmiterio conſpiciuntur, quæ nobis liceat in præſentia cum ſilentio pertranſire, ne, vt diximus



mus in veſtibulo noſtri operis, ex varia dicendi ſimilitudine, ſimiliq; dictandi varietate delicatior Lector ſtomacharetur: ſicuti non pauca, atque ea magnifica dignoſcuntur lingua vernacula deſignata, quæ quidem iſtuc cõferre non libuit, ne propter indecentem dicendi modum opus noſtrum vileſceret, tametſi (quicquid Momus dixerit) aliquot Etruſca carmina repoſuerim, uèluti poſtremò plura nimis comperiuntur ſine titulo inter quæ & nobiliſſimæ, & antiquæ, ac generoſæ familiæ concludun tur, veluti, exempli gratia, Tiretta, Menegalda, de Caſtro Cucco, Cambia, Bellauſa, & aliæ multæ: quarum memoriam perſequi longum eſſet, & à referendorum Epitaphiorum materia alienum non parùm: ſicuti poſtremò obſoleta aliqua monumenta alijs, quibus non erat locus in diuerſorio, propter hominum illius ſtirpis carentiam, aut abſentiam, iamdudum extant adiudicata: propterea ne doleant hæc hominum genera: neque pariter alij magnifici, ac illuſtres conciues noſtri, quorum magnifica monumenta, illuſtriaq; Epitaphia in alijs templis diſpoſita nullum cum Franciſcanis ſymbolum tenent, niſi ipſorum memoria hic qualicunque oratione tradatur, cum noſtrum à principio fuerit inſtitutum latitina, neque dum omnia, Franciſcana Epitaphia cum analogis recenſere.

A. Ecquid vtre vno omnes maris aquas velles concludere? tu hæc modo, tali ſermonis genere, tali ſtylo, tali artificio, prout libuit, es cònſecutus, ſi quid ultra à quo-

piam deſideratur, ille vlterius ſciſcitando, aut ſcriptitando procedat, nemini ſiquidem ſcribendi, philoſophandive præcluſa eſt uia. an ignoras aliquos omnia Taruiſina marmorea monimenta colligere, quæcunque ſanè in templis, ſepulchretis, turribus, moenijs, oſtijs, exedris, veſtibulis, ac in quibuſcunque ædificijs priuatis, aut publicis hic Taruiſij comperiuntur? aliquos etiam Taruiſinam hiſtoriam à primo vrbis initio iamdudum orditos eſſe? in illis voluminibus, ſi proferentur, quilibet omnia cumulatiſſimè perluſtrabit: quòd ſi te, vti diminutum, quidam taxauerint, illis ſatis ſuperq; factum iri putarem, dum, quod à principio promiſſum fuerat, te vberiùs præſtitiſſe compellentur fateri, quando nullæ ſint leges, quæ tuam ad talia tali certo quopiam modo recenſenda orationem obſtringant.

B. Diminutum fortaſſe aliqua etiam cum ratione damnabunt, dum ſtatuent me in magnificis familiis, ſtrenuis alumnis, eorumq; glorioſis geſtis debili hoc calamo percurrendis non pauca mihi incognita, digna tamen, quæ referantur prætermiſiſſe: ſed quid ego poſſum, aut debeo à pluribus eorum Auctorum glorioſa opera litteris domeſticis conſignata audaciùs extorquere? quæ ſciui, tradidi, neque omnia, cum hiſtoriam, aut chronica non contexam, ſi modò aliquid de his & fuſiùs, & elegantiùs publicabitur, ſicuti ſcriptor nunc legentibus, ita ſcribentibus lector tunc morem geram, & ſi quid fortaſſe non ſatis arriſerit, æqui boniq; conſulere non obliuiſcar, non etenim omnibus omne ferrè punctum conceſſum eſt, mihi autem alijs minus in his, vt qui extra ſcholas proprias, in quibus ſanè res phyſicæ pertractantur, per id modicum temporis fuerim euagatus, quiq; opus id non in nonum annum, ſed nec in nonum menſem, nec in nonam hebdomadam repoſuerim, vt fiet legentibus manifeſtum, id autem volui expediuiſſe, vt tutius, atque liberiùs ad philoſophiam perinde, atque ad medica exercitia me totum addicerem; quapropter ſi aliqua fuerint non adeo concinnè, propriè, ac ex arte compoſita, id ob breuitatem temporis, veluti & conſultationis defectum eueniſſe legentes diiudicabunt, meq; pariter amorem patriæ hoc iure ob aliorum taciturnitatem optanti, honori meo, meis commodis, futuræq; forſan gloriæ interea prætuliſſe. Tu autem ſi me, vt ſoles, amas, & ſermonum meorum, & meiipſius memoriam ſuſtinens, nunquid vlteriùs tibi inſeruire valeam cogitabis, non dubius te omne, quodcunque præſtare valeo, relaturum.



A. Ego haud prorſus mehercle nego aliquem aliqua longiùs, ſiue etiam breuiùs optaturum, ſed ipſe viderit. Tu nihilominus certò ſcias, me tecum colloquij huius cauſa adeo arctam neceſſitudinem, quam priùs inieram, contraxiſſe, vt omnem Amoris gradum aſcendens, ac ſuperans te ſummo iure ſemper ſim ſuper omnes amicos, & conſanguineos etiam dilecturus: propterea niſi meiipſius mihiipſi memoria oblitteretur, tui nunquam Ego, amice dulciſſime, ſum obliaturus, quòd ſi re ipſa volueris

*colueris experiri, tunc me à teipſo ſatis redamatum eſſe cognoſcam.*

B. *Eſto igitur, iam valeas.*

A. *Tuq; iterum vale.*

F I N I S.



# Appendix.

# DOCTORATORVM HOMINVM EX MARMORE MONVMENTA.

*NEQVE ſupra, neque vltra inſtitutum meum me fore facturum arbitror ſi auctarij loco Doctoratorum hominum monumenta in Taruiſinis ſepulchris quomodolibet excitata hic inferiùs repoſuero, tum quoniam inter Doctores, quorum plurium nomina ſuperiùs oratione fuimus proſecuti, ſymbolum, atque illud fraternum extat, quod quidem & vniuocatio, & noſtra collegia clariùs manifeſtant, tum etiam ut illius rei memoriam renouem, anteactis nempe ſæculis circiter annum 1300. noſtræ ſalutis inſtitutum fuiſſe, atque per longos annos productum Taruiſij publicum ſtudiũ, publicas ſcholas, vbi vtriuſq; iuris ſcientiæ, phyſicæ, & aliæ diſciplinæ prælegebantur: quo temporis curriculo per ampliſſimum priuilegium Federici Romanorum Regis collegia iuris, phyſicæq; candidatorum in iiſdem facultatibus ſcholares optimæ indolis promouebant, atque interuentu Taruiſini Epiſcopi pro tempore exiſtentis eos ad Doctoratus, ſeu magiſtratus lauream ſumma experientia, ſtudio, ac honore erigebant.*

*gebant. Quocirca ſuberit admirari, quinimo abſq; hæſitatione vlterius contemplari. unde nã ad arcas, ad cænotaphia tot videantur ſculpti ex marmore ſedentes homines, qui inſtar prælegentis Doctoris cum libris ſunt conſtituti, quorum multi exterarum ſunt regionum: quandoquidem ære publico ab ampliſſima, ditiſſimaq; Taruiſina Rep. conſtituto celeberrimis Doctoribus in hac Academia prælecturis congrua pro virorum meritis ſtipendia ferebantur, inter quos legens phyſicam extitit noſter conciliator, ſ. Petrus de Apono Patauinus: non autem credat quiſpiam Doctoratos homines Taruiſinos in paruo relatorum inferiùs numerum ſuperare, quandoquidem extant chronica apud legum, phyſicæq; Doctores, in quibus plura Doctoratus laurea inſignitorum hominum centenaria recenſentur, perinde atque non omnes ſibi monumenta, vel Epitaphia poſuerunt, cum & alij plurimi maiorũ ſuorum ſepulturas tacitè ſubintrarint, verùm, quod peius eſt, temporum, atque hominum malignitas plura marmorum nobilium monumenta, vt cernimus, deſtruxerunt. Quod ſanè damnum vniuerſale B. Amantius huiuſmodi verbis iure meritò deplorabat. Lapides, imaginib. & inſcriptionib. uetuſtis ſculpti, plerumq. temporum diuturnitate detriti, conlapſi, obruti, &, quod iniuriæ veterum accedit, ignauia, & negligentia noſtrorum hominum, vel igne in calcem ſoluti, vel à fundamentis ædificiorum poſiti ſunt: docent hæc portæ, porticus horti, domus quoque plurimæ. Hæc igitur legant, qui cupiunt, ſin minus illa extra Dialogos ſtatuentes, etiam extra libri noſtri limites reputabunt, non etenim illos cum Lucilio fore dicturos velim mantiſſam obſonium ſuperare.*

*Iuriſ-*



*Iuriſconſultorum, nullo præter ſacrarum ædium ſeruato ordine, monumenta.*

*Ad D. Petri Templum Cathedrale.*

IOANNIS EPISCOPI TARV.

OPT. MAX. DEO, BEATAEQ. VIRGINIS Conceptioni dicatum ſacellum hoc, quod rimaris lector, vetuſto funditus euerſo, erectum ornatum ſcias pij ære Io. Archiepiſcopi Theb. Pon. Tar. qui triennio necdum peracto D. Fran. Religioni fato aſcitus breui ad ſumma doctrinarum prouectus, grauis Maroniſta, vnicum Religionis decus euaſit. Theo. inſignibus XXVII. anno acri Patauij certamine vno patrum conſenſu reportatis ad Vrbem procurator, inde Diui Anto. Prouin. Magiſter, poſt Vicarius vniuerſus à Summo Pont. Pau. tum Venetiis cunctis primum ſuffrag. Generalis creatus VI. annos integre ſic præfuit & SIX. CHRI. VICA. ſacri Collegij à Ferdi: Rege orator compos ad vota regreſſus, Spalatrenq. Archiep. deſignatus, ac bina ad Se. Ve. legatione probe acta, Tar. Præſul. & Archiep. Theb. pronũtiatus Tar. reſidès palatium, & hoc, quod aſpicis templum grandi pecu: inſtaurauit, Epiſcopatus bona redemit. ſicq. tanta munificentia Reipublicæ, ac populo gratus piè extollitur.

ANNO SAL. MCCCCXXXIII.

HER-

HERMOLAI BARBARI EPISC. TAR.

Ligneas inuentas, collapſasque, & abiectas epiſcopij ædes reſtauraui, ornaui, lateritiasque reliqui HER. BAR. diuina patientia Tar. Pontifex appellatus. M CCCCLIII.

PROSAVII NOVELLI EPISC. TAR.

*vide retro pag. 302.*

ALBERTI VICENTINI EPISC. TAR.

Hic iacet Albertus lapidis teſta coopertus
Frater eratq; Minor, ſed Præſulis ordine maior,
Teruiſij Præſul, ſed origine ſanguinis exul,
Ipſum nanque virum genuit Vincentia mirum
Doctorem, merum docuit qui lucidè verum.
Oremus Dominum ſibi quod donet Paradiſum,
Et quod lætemur pariter quando moriemur.

PETRI PAVLI EPISCOPI TAR.
ET IO. DELLA VAZZOLA. I. C.

